DE

DONATI COMMENTO IN TERENTIUM

SPECIMEN OBSERVATIONUM PRIMUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

OBTINENDOS SCRIPSIT ET

AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA ORDINI PHILOSOPHORUM

UNA CUM SENTENTIIS TRADIDIT

PAULUS RABBOW

POMMERANUS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVII

Paginarum numeri iidem sunt qui in annalium ad philologiam paedagogicamque spectantium recentiorum volumine CLV.

BUECHELERO

ELTERO

USENERO

HAEC · SACRA · SUNT

Quas olim conlegi observatiunculas novam Donati editionem auspicaturus, nunc autem edo editori quisquis erit symbolam conlaturus ad scholia emendanda et recte aestimanda, edere eas non possum quin gratias agam summas GEORGIO WISSOWAE viro liberalitatis atque indulgentiae plane admirabilis, qui thensauros a Schopeno incohatos, a Reifferscheidio et ipso auctos petenti mihi tradidit pervolutandos, quaecunque petebam aut petere non audebam benigne concessit, diem reddendi quater quinquiesve prorogavit, patienter me tulit comiter instigavit urbane tractavit. iam quidquid praestiti si quid praestiti labore obscuro potius quam umbratili, dignum esset vellem tanta bonitate viri humanissimi optimi.

I

EVNVCHI prol. 27_3 Sabb. imprudentia e.: ignorantiam, non imperitiam ⟨significat⟩. si I 1, 13 nunc domino servus est sapientior, sed amatore non amans II 3, 10_4 praeut huius rabies: hic ex parte characteris inseritur quod deest personae Chaereae, quem moribus conicit servus ardentiorem amore fieri posse simul coeperit.

ibid. 19 cum in cellulam ad te: an is de(beat), qui et acceperit beneficium. ibid. 23_6 demissis humeris esse, vincto pectore: non accipiendum est quasi hoc dicat: 'ad hoc illas student matres demissis humeris esse et vincto pectore, ut gracilae sient', quasi haec

ADNOTATIO 1 edidit Sabbadinius vir optime meritus studd. Ital. tom. III. atqui perpolienda illa sunt. itaque principio ea proposuimus ubi Sabb. vulgatam et deteriores quae conspirant plerumque, secutus est, codices vel omnes vel bonos unice vP(T)V neglexit; nos ex his emendare, illa abicere maluimus 4 cf. schol. q. s. gemellum: *et magna poetae cura est ne incredibile videatur adulescentulum qui pro eunucho deduci potuerit tam expedite virginem vitiasse. quocirca artifex summus quod aetati non potest naturae attribuit Chaereae, ut calidior ingenio et ante annos amator non libidinem in sese sed quandam rabiem designaverit in venerios appetitus.* eodem spectant scholl. v. 5; IV 3, 3 6 audi rhetorem: *an debeat praestare qui virum se sic monstraturus est* (ad v. 16), *an necesse sit praestare eum qui promiserit* (v. 17), *an possit qui posse se affirmavit* (v. 18). ecce quartam quaestionem

DISCREPANTIA SCRIPTVRAE 1 imprudentiae ignorantiam non imperitiam *libri* imprudentia: ignorantia, non imperitia *vulg. Sabb* 2 ⟨significat⟩ *compendio scriptum erat* 3 sed amator nunc vPV: sed quia nec amator nec *dett. vulg. Sabb* 4 hic vTV_1: hoc V_2 *cum dett. ut solet, Sabb* inseritur quod deest] istius quidem (-am T) est *libri Sabb* 6 an is de(beat) qui et] dicit anis que et T di. q. et v dicit anus quae (ae *ex corr.*) et V: sic dicit anus quae et *dett. vulg.* sic dicit ei qui ante *Sabb*

duo propter unum illud fiant; sed varie tria dixit ne diceret: '⟨student illas demissis humeris et vincto pectore et gracilas esse⟩.' aut: 'student illas demissis humeris ⟨e.⟩ et vinciunt pectus ut gracilae sient.' ibid. 27 color verus: quia non 'de cura' est corpus solidum: quia 'iunceum' non est. suci plenum: quia nemo 'deduxit cibum'. ibid. 72 nunquid me aliud: hoc dicere abeuntes solent. et bene hic, quia festinat et simul quia hinc nascitur dolus fallendae meretricis.

I 2, 8 de exclusione verbum nullum: plenus admirationis est nec accusationi nec satisfactioni locum reliquisse meretricem callide dissimulata iniuria. II 1, 11_2 et ideo hunc putat non censere quia ipse desperat fieri posse. obfirmare et perpeti: verba sunt desperantis II 2, 3_3 et τὸ ἑξῆς 'quendam — hominem.' haud impurum: dixit non 'prodigum', sed quia hoc ipsum probat, 'non avarum', 'non improbum'. ibid. 22_2 et vide quemadmodum inliberalem vitam honestiore nomine primo 'aucupium' (16), post etiam 'quaestum' nominaverit 'ΡΩΠΟΚΑΠΗΛΟϹ impudens. ibid. 51 age modo nunc tibi p. h. f.: ex eo quantum licere oportuit ostendit, quam misere nihil illic liceat Parmenoni. II 3, 19_5 congerebam clanculum: ἠθικῶϲ et ἱλαρῶϲ nimis. ibid. 46 heus heus Chaerea: 'tibi dico Chaerea' [dissimulantem praeterire inquam] non adderet nisi videret Chaeream dissimulantem praeterire. inquit: aliter

1 *varie* quia duobus membris sententiae infinitivus, tertio *ut* coniunctio adtributa est. adnotatio usitata. adiungitur altera explicatio, qua 'vincto pectore' ablativus non qualitatis sed absolutus est et cum sequentibus artius cohaeret 4 ἀπόδοϲιϲ est ad superiora cf. v. 25 'reddunt curatura iunceas' v. 24 'deducunt cibum' 11 *putat* Phaedria 13 formulam Graecam in scholiis Latinis perquam inusitatam interest aliquid in Donato restituisse in quo etiam χιαϲμοῦ vestigium indicabo 17 addendum lexicis 18 lemma falsum, pertinent ad Gnathonis insultationem v. 50: 'fac ut admittar ad illam' 20 i. e. 'nimis moraliter et iocose'. recte sensit colorem sententiae 21 ita demum qui

1 ⟨student — esse⟩ *inserui* 2 aut] *sic libri:* et *Sabb* 3 ⟨e.⟩ *sumpsi ex Leidensi* vinctum (victum) *libri* ut] *sic* V *dett.:* et T *deficit v* ne diceret: et 'student illas demissis humeris' et 'vinctum pectus' et 'gracilae sient' *Sabb* 5 iunceum non est] aiunt eum non esse T vincium non est qui aiunt eum non esse V: vitiatum non est *vel* non vitiatum *dett. vulg.*, *Sabb* 7 hic] his T vis (v *ex corr.*) V_2 *cum dett. Sabb: ergo* V_1 *exhibuit* his *ut* T. *item in lemmate* nunquid m. a. T nunquid me vis aliud (vis *superscr.*) V_2 *cum dett.* 9 plus *libri* plus admirantis *Teuber* 11 putant *v* V *dett.* puta T: *em. Westerhovius e codice Samuelis Hulsii* (*cf. eius praef. p. VIII*) *qui in illa editione constanter quantum vidi* Ms. *vel* Mss. Hulst. (?) *audit* 12 desiderat *libri* 13 eτ τoeξ et *v: om. cett. in lac.* 'quendam'. — hominem haud impurum: dixit *Sabb* 17 ροποkaphc *v:* hic *edit. Veneta*, *om. in lac. cett.:* hic ῥωποπώληϲ *Bentley* τὸ ἐπιεικέϲ *Sabb* inducens *libri* 19 illi *libri* ibi *Klotz* (*'sed locus est corruptus'*): *mira Westerhovius Sabb Hartmanus*
20 heιkωceaNaPσωcNιaaιc *v* ηθικιοσ (ο *corr. in* υ) ελπηαρωσυιλλισ V *om. cett.:* ἠθικῶϲ *invenit Sabb* 21 Chercam *libri* tibi dico inquam: ⟨'inquam'⟩ non adderet *Sabb*

ibid. 97_4 verum ne post conferas culpam in me: si 'ne' prohibentis est, nihil deest, si percuntantis, item; sin 'ne' ne forte, deest timeo.

prol. 9 idem Menandri ⟨Φάϲμα⟩ nunc nuper dedit: τὸ αὐτόν. apparet pronuntiatum quasi hoc ipso admonuerit spectatorem quam turpiter et imperite haec fabula scripta sit. I 2, 51 ad rem avidior: proprie 'avidior'. ad rem: pecuniam modo dicit. ibid. 59_3 si fidem habeat: si credere cogatur. id est si credat ibid. 74 tandem perdoluit: nimis doluit. id est persensit dolorem. II 1, 17_3 vel totum triduum: magna professio virtutis, cum biduo sit opus, triduo posse durare et 'totum triduum'. universum triduum: εἰρωνικῶϲ quasi triduum in multo numero sit. II 2, 41 at nunquid aliud: virginem. hic de illo respondit et ideo repetit dictum Gnatho. II 3, 42_2 minimeque opus fuit: saepe enim nolumus, tamen non et 'non opus est'.

Eun. IV 4, 22 ὥϲπερ Ἀριϲτοφάνηϲ ἐν ταῖϲ Νεφέλαιϲ· ᾔϲθην
Phorm. I 2, 77 ego te cognatum dicam et tibi scribam dicam:

facta sit praeoccupatio demonstramus cf. Eun. argum. III 4 Sabb., schol. prol. 15_1 40_1 I 2, 15_1 89_1 II 2, 16_1 II 3, 10_5. 'heus heus tibi dico Chaerea' libri Terentiani

4 quaerebant quid in v. 9 vituperii inesset. altera solutio: 'idem' accusativus neutrius est et Graece vertendum (more scholiastarum) τὸ αὐτόν, Luscius Menandri Phasma immutatum dedit ut nil de suo stilo adderet, ergo fur est cf. schol. v. 24_3. altera solutio infra, ubi omnia persana: *an non hoc, de quo tantum reprehendat, sed his signis velit ostendere quem dicat vitiose Thesaurum composuisse, ut in Thesauro sit culpa non in Phasmate*; ergo vituperium ipsum in v. 9 non inest sed persona vituperandi adumbratur. ita illi explicabant: nobis explicationes explicandae erant quia non solum Hartmanus sed etiam Sabb. cum editoribus mirum in modum erravere 5 *apparet pronuntiatum* apparet 'idem' acute pronuntiatum esse, brevitate et pronuntiandi significatione sollemni 7 Osberni Panorm. p. 21 *item ab 'aveo' avarus* 11 Phaedria non ironice loquitur 13 explicet Eugraphius 14 solvitur abundantia 16 studd. Ital. II p. 129

2 item] ut *libri* sin ne] sint. e *v* sint T, *ex* V *nil enotavi:* sit *dett. vulg.* percuntantis ut sit 'ne' ne forte *Sabb vulgatam secutus* 4 ⟨Φάϲμα⟩ *ins. Sabb e vulg.* το αυτωy *v* τολυτὼν V *om. in lac.* P: *varia cett.* τὸ ⟨Φάϲμα καθ'⟩ αὐτὸ apparet *Sabb* τὸ αὐτὸ apparet *vulg.* 6 ad rem avidior — dicit] proprie avidior *v* ad rem avidior ad rem pecuniam modo dicit P: *hinc scholia quae dedimus concinnanda et distinguenda erant:* ad rem avidior proprie ut (ad) rem (avidior) pecuniam modo dicit *dett.* ad rem avidior: proprie 'ad rem'; ⟨rem⟩ pecuniam modo dicit *Sabb* 8 cogatur idest *vulg. Sabb* 9 doluit idest *vulg. Sabb* 11 durare. — et 'totum triduum' 'universum triduum' εἰρωνικῶϲ *Sabb vulgatam secutus* 13 virginem] *sic v*T*:* cum iurgio V_2 *dett.* iurgium hic *Sabb* cum iurgio hic *vulg.* 15 non et] *sic* TV *deficit v: om. cett.* nunc et non *Sabb* 16 ἐισπεραριστωφανι ceta igne φελισεστιν V: ὡϲ παρ' Ἀριϲτοφάνει ἐϲτὶν ἐν νεφέλαιϲ· ᾔϲθην *Sabb*

ἀπογράψομαί cε. II 3, 11 inde et 'bonis invident et malos extollunt atque sed' et cetera. IV 3, 56 quid si animam debet: Graecum proverbium sprevit εἰ δὲ ὤφειλεν τὰc χεῖραc.

Hecyr. IV 1, 1 perii quid agam quo me vertam nescio: mire in hac scaena et iterum rixa est senis atque anus et tamen varie et alio modo, ut mores inter se diversos et iam notos possimus agnoscere. ibid. 12 hem taces: non 'muta es', sed 'taces' celas.

Phorm. II 1, 81 neque quid in Cilicia gesserit demonstratur ideo [getham exclamasse] quia iam dictum est 'noster in Ciliciam ad hospitem antiquum' (I 2, 16). II 3, 10 quia egens relictast misera: communis locus in avaritiam, generalitate approbatior. facilius enim de omnibus hoc quam de Demiphone creditur.

Andr. I 5, 39 Klotz 'lana et tela victum quaeritans' non pertinet ad argumentum nisi propter vitam Glycerii intellegas. IV 4, 7 quidnam aliud dicam: hoc propter spectatores. V 3, 30 aequum postulat, da veniam: artificiose interponit loquentem Chremem quem volens usque ad cognitionem filiae retinere non facit irasci Pamphilo ob contemptum filiae suae et propter hoc abire de medio. Eun. V 3, 12 ibo intro ut de cognitione certum sciam: eleganter fatigare Parmenonem non necessarium putat sed ex occasione. adeo non propter eum dicit se ire intro, exituram autem ut ipsum in timorem coniciat.

1 studd. Ital. II p. 132. glossa Graeca ibid. p. 111. Sallust. Catil. 37 *bonis invident, malos extollunt, ⟨vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student: turba⟩ atque seditionibus* etc. 3 ibid. p. 134. quidni addiscamus tale extitisse proverbium: quod apud Apollodorum fuisse vix iam negaveris 4 ibid. p. 99 7 ibid. p. 102 8 mus. Ital. antiq. class. III p. 463. cave *Getam examinasse* vel similia conieceris: irrepserunt e schol. II 2, 10 13 corruptelarum exempla frequentiorum cf. schol. quod antecedit et I 1, 44. 47. 48

1 απογραφην τοναι V: ἀποcτροφὴ cύντομοc *Sabb* 2 atqui sed et RV *optimi* atque sedet *a*: inquit Sal. et *Sabb vulgatam Stephani secutus* 3 sprevit] *sic libri:* usurpavit *Sabb post Bentleyum* ετλεοφηλεντὰσ χήρασ V, Ms. Lindenbrogii: εἰ δὲ ὤφελον τὰc ψυχάc *Sabb vulg. secutus quae ex antiquis editionibus fluxit* 6 iam] tamen *libri* 7 muta es] num (*vel* nunc) taces *libri* 9 getham exclamasse RV: *om. dett.* quia iam *om.* R ideo ⟨quia⟩ Getham exclamasse dictum est *Sabb ex* R 11 avaritia *libri:* avaritiae generalitate *vulg. Sabb* 13 *hactenus Sabbadinius. ego adhibebo libros hos: in Andria* A*v* (*inde a II 1,20* neque a. c. q. sum miser) V[*e*DB*l*] *Eunucho v* (*usque ad III 2,1* sensus visa dicuntur) V[*e*D*l*] *Adelphis* A (*usque ad I 1,40* modeste additum mea) V*e*D*l* *Hecyra v* (*III 4, 16* te e. bene excepit *usque ad V 2, 8* feliciter ausus est) V[*e*D*l*] *Phormione* V*e*D*l*, *cf. Sabb. studd. Ital. II Wessnerus mus. Rhen. LII p. 69 sqq. ex his scholia non plene adnotavi sed emendationis fundamentum breviter indicavi; deteriorum e*DB*l minutias singulorum curavi nusquam. talia autem emendata propono ubi cum lectio codicum vel in vulgata vel in antiquis editionibus iam prostaret, editores verum neglexisse vidi. atque intra haec nunc me contineo ne de alienis copiis prodigus videar* 14 propter] post *libri vulg.*, *item* 15. 18. 21 21 exitura *libri* 22 ut] *l: om. cett.* ipsum *om.* V

Eun. III 1, 38 tuumne obsecro hoc dictum erat: et dicta et proverbia et adagiones, quae ad rem agant, facetis hominibus adscribuntur. III 5, 13 immo hercle obsecro: bene contulit verba, ut ex his appareat quam id agere velit. ille dicit 'quaeso', hic 'obsecro'.

Eun. III 1, 12 credere omnem exercitum, consilia: sub obtentu militis et stultitiae descripsit breviter comitem regium acceptumque imperatori. Adelph. II 3, 8 alii putant 'festivum caput' non Aeschini intellegendum sed orationis, quam habet Ctesipho agens gratias fratri. ita in Eunucho: 'quam venuste quod dedit principium' (III 2, 4). quod si est, et 'nihil potest supra' hanc laudationem, non 'supra hoc factum' erit accipiendum. sed male. nam 'caput' Aeschini intellego ipsum Aeschinum ut in toto pars sit per synecdochen, in qua figura ea pars pro toto ponenda est quae aut eminet ex toto aut maioris pretii est ad id quod agitur.

Hecyr. II 1, 18 an quia ruri crebro esse: memor servi est qui dixerat 'rus ab. s.' (I 2, 100). Phorm. II 1, 4 (vix tandem:) alii, quia tarde ad servum pervenit senex quem ille ob conscientiam a se coepturum esse credebat.

Adelph. I 1, 7 aut te amare cogitat aut tete amari: quia 'te amare' ἀμφιβόλως dixerat, cito intulit quod certum est 'aut tete amari'. II 1, 22 ornatus esses ex tuis virtutibus: cito ostendit quantum a se longe sit regnum, qui dixerit ornari potuisse lenonem.

Andr. III 2, 13 aperte fallere: δύο δι' ἑνὸς cito, et 'fallere' et 'aperte'. Adelph. V 3, 42 inter se amare: cito dixit 'inter se' quod est 'cum alter alterum invicem amat'. Phorm. I 2, 33 ea serviebat lenoni: et honeste et cito dixit 'serviebat lenoni impurissimo'; et quare non fuisset libera et cuius fuisset ancilla et qualis hominis fuerit, demonstravit.

2 veriloquium adagionis, cf. Festus *adagia ad agendum apta* 6 vitae exemplum e Terentio expiscatur. regium autem comitem tria concelebrant: exercitus consiliorum voluptatum communio cf. q. s. et schol. v. 17 8 illi verba 'festivum caput' et 'nihil potest supra' Syro videntur tribuisse 16 *memor* poeta: cf. Euanthianum de Terentio iudicium p. 6, 23 Reiff. quae passim occurrunt *hoc est quod supra ait, hoc recte quia dixerat, quia supra*, similia eodem omnia redeunt 20 ergo *cito* dicta sunt quae aut expedite occurrunt aut plura simul expediunt una sententia. erat igitur formula quaedam interpretationis rhetoricae, qua poeta facundus *multa dixisse* una sententia adnotabatur. Seneca epist. 9, 2 *si exprimere ἀπάθειαν uno verbo cito voluerimus*, quem locum Buechelerus demonstravit; Horatius a. p. 335 qui hinc explicatur. in Donato cave mutaveris

2 quae ad] quod *libri vulg., ut* 4 quam id] quid 7 et] ea *libri vulg., ut* 14 ea] et stultitia *libri vulg.* 11 *non intellexerunt editores* 16 servi] sui *libri vulg., ut* 18 suum sui est quia *Westerhovius* 25 cito] scite *coni. Teuber* 27 cito] *sic etiam Riccardianus Terentii E cf. Schlee scholl. Terent. p. 70*

Andr. II 1, 12 amorem huic narrabo meum: nec studium aut voluntatem sed 'amorem', nec aperiam sed 'narrabo' dixit, totum magnifice. ibid. 37 ego vero ac lubens: nemo liber fugit nisi necessitate coactus, hic etiam 'libens' dixit quod est libenter.

Eun. III 1, 32 plus milies iam audivi: ὑπερβολὴ aut superfertur aut aequatur aut subiacet. superfertur nunc; aequatur 'milies'; subiacet ut 'tantum non milies'. convenit stultum eundem et immemorem esse, quia et ⟨memoria⟩ intellegentia est. V 4, 4 nam ut omittam quod ei a. d. e. c.: cum dicere deberet 'quod ei amorem difficillimum et carissimum confeci', primo quasi oblitus dicti superioris transiit ad virginem, deinde addidit 'eam' (v. 6) ex abundanti. V 8, 59 isti te ignorabant: figurata dilogia. ad utrumque enim pertinet et ad laudem et ad ⟨vitium⟩. mores ostendi t.: et hoc ambiguum.

Adelph. I 2, 69		
	A ea tamen haec sunt — contineant.	A quam hic non — flagitium.
	C 'aliquid' vero ad minorandum est.	B et simul — Micio.
	B quod addidit — virgine.	C non dedit aliquid: 'aliquid' dicendo praetermisit vel 'mercedem' vel numerum.

III 3, 25 mihi quidem non placet: rursus hoc ad senem. IV 2, 48 et erit 'silicernium' senex qui iam iamque silentibus umbrisque cernendus sit, et sic est melius quam ut quidam γέροντα interpretantur putantes γῆν ὁρῶντα, sic et nos 'silicernium' intellegere hoc est silicem cernentem senem dum incurvus est V 3, 44 at enim metuas: ἀντίθεϲιϲ ad priorem tractatum pertinens qui est habitus de consumptione rei familiaris.

2 'narrabo' quasi fabulam Romanensem. aliter et tamen similiter schol. III 1, 19 3 exprimitur vernilitas e contrario sicut liberalitas schol. Eun. III 2, 47 5 schol. Phorm. I 2, 18 11 schol. v. 30
15 trinas adnotationes gemellas litteris signavi. explicatur lenitia patris qui culpam filii vituperando detrahat: maluit damnum adumbrare quam aperte 'mercedem' meretriciam vel etiam numerum pecuniae pronuntiare 23 schol. v. 21 et 26 25 E. M. p. 226 ubi v. Gaisfordium. veriloquium Latinum sprevit etiam Nonius s. silicernium, Graecum grammaticus nescio quis Cram. AO. I p. 103 οἱ δὲ πλανώμενοι λέγουϲιν «ὁ εἰϲ τὴν γῆν ὁρῶν». — 'equidem comoediae titulum latere hic opinor' Hartmanus 28 *prior tractatus* vv. 20—33, v. 34 extat 'consuetudinem'

2 aperiam] petam *libri vulg.* narrabo] impetrabo *coni. Schopen*
3 liber] libenter *libri vulg.* 5 superfutura ut aequatur (-etur) *libri vulg.:* aut *sumpsi ex Leidensi e* 6 subiacet superfuturum equatur milies *libri, Klotz: om. vulg.* 8 ⟨memoria⟩ *inserui* 11 eam] causam *libri vulg.* (*i. e.* cām) 13 ad mores. ostendit et hoc *vulg. libri* 17 admirandum *libri, ed. Veneta cf. Klotzium:* admirantis *vulg. ex l* 21 mercedem] meretricem *libri vulg.* 23 rursus] plus *libri vulg.* 25 γέροντα] xenophonta (zenofanta *similia*) *libri vulg.: em. Vossius lectione Lindenbrogiana nisus* quidam Xenophonta interpretantes putant sic, *cf. Forcellinius s. silicernium* 26 xenophonta *libri vulg.* 29 consuetudine *libri vulg.*

Hecyr. prol. II 7 partim sum earum exactus: pro 'in aliis' aut 'dimidiis'. et simul splendida locutio est. ibid. 32 'datum iri' dixit ut fabulam, comediam; ut et omnia spectatori et populo dicantur.

I 2, 75 integram: hoc est honestam. non enim duxit spoliatam virginitate aut mulierem. ibid. 99 relinquit: ἘΝΕΡΓΕΙΑ praesentis temporis. II 1, 8 quae nunc quamobrem accuser nescio: oratorie pro se loquitur mulier siquidem maioris innocentiae est nescire crimen quam defendere. et huius verbis ostenditur sine noxa esse etiam Philumenam, non solum hanc quae loquitur Sostratam.

IV 4, 67 nunc animum ad meretricem: hoc vultuose et demisso labro, ut appareat invitum duci ad reprehendendum qui laudaverit modo: 'quae tu fecisti ut decuerat.' 68 in.: venialiter satis, quia non dixit 'multum amans facis huic iniuriam', sed 'cui obsecutus'. o meretricis superbiam non ferendam. 69 nam in eandem — ibid. 77 (non est nunc tempus:) et oratorie confugit ad declinationem defensione titubante.

Phorm. I 2, 66 sin aliter, negat: syllempsis 'facturam' ex eo quod sequitur 'facere' (64). I 4, 11 is nunc me retinet: sic 'retinet' quomodo 'excruciat'. II 2, 16 qui istuc: dicis. et interrogare fingitur Geta ut parasitica progrediatur oratio.

1 'partim' aut ad summam omnium fabularum referebant aut ad singulas quasdam 3 qui gladiatores possint 'dari' 4 *non enim duxit:* haec cur addiderit, disces ex scholio q. s. 8 Philumenae innocentia a Sostrata nusquam ostenditur nisi vv. 35 et 38 sq. 12 schol. v. 69 (l. 10 Kl.) 16 Aurelius Augustinus p. 143, 6 Halm cf. rhetores de translatione 17 pertinet ad v. 63 'illa enim se negat' 19 schol. v. 10

2 aut timidis *libri, Klotz: om. vulg.* ante mihi actis *coni. Westerhovius* 3 fabulam commendet *libri vulg.* 4 dixit *libri vulg.* 5 ineptia *libri* inertia *vulg.* 8 his *libri vulg.* 10 *sqq. genuinum ordinem exhibet Stephanus* 12 invenienter *v* invenient V inveniliter *e deficiunt* D*l*: inveniliter *vulg.* 16 deditionem *libri vulg.* 17 factura *libri, Ms. Lindenbr.:* facta *vulg. ex l, non intellexerunt Hahn de orig. schol. Don. I p. 6 et Teuber in annal. phill. 1891 p. 366* 18 si *libri:* si retinet, quomodo excruciat? *vulg.* 19 dicitur et *libri vulg. post* interrogare

---

Scholia Donatea ex duobus commentariis concinnata esse sciebatur, post Phormionis commentum actus alterius scaenae tertiae a Sabbadinio editum et inlustratum non scitur tantum certissime sed etiam ipsis oculis subiecta ratio est duarum partium, quae in monstrum quod hodie extat biforme compactae sunt, cf. studd. Ital. II 109 sqq. 60 sqq. ad hanc compilationem quoniam libri omnes redeunt, editoris erit illam quoad fieri poterit restituere, altiora non rimari nec nebulas Donatorum captare, omittere lenocinia ista diversis litterarum formis discernendi scholia genuina (quae vocant) et interpolata (quae nulla sunt), abstinere denique praeposteris emendamentis, quibus compilatoris opera corrigi videatur, ratio et indoles illius compilationis obscuretur. sed videre videor subridentem te:

quorsum haec? nimirum paulo maiora canimus ut unam insinuemus observatiunculam. et enim compilatorem illum qui laudabili ac paene stupida diligentia munere functus est, duobus locis ἐπ' αὐτοφώρῳ deprensum neglegentiae coarguemus.

Eun. V 8, 42 sqq. scholiorum ordinem qui in libris est habes apud Klotzium. discribo scholia quae in editionibus recte fere feruntur, ut duo commentarii emergant, gemella litteris signo:

A 42 *militem ego rivalem recipiendum censeo: artificiose — dicit* (sic). *militem ego r. r. c.: rivales dicuntur — et Homerus*
B *censeo: ⟨vide⟩ virtutem poetae. non dixit 'peto' sed 'censeo', tamquam illis iam consulat, non pro milite agat*

> AB 42 *militem ego r.: considera — retinendus sit. et non 'volo' aut 'rogo', sed 'censeo' ut consiliarius, non parasitus videatur loqui. nam quod — censeo.* 43 *cogita modo: modo — est.* 44 *et libenter vivis: id est — edax.* 46 *suppeditare possit s. s. tuo: aut — operi.* 47 *ad omnia haec — habet. ex usu: pro — opportunior.* 48 *nemo est: hoc est 'opportunus'* [lemma falsum, pertinent ad verba 'principio et habet' etc. cf. ad v. 49]. *habet — dives. et dat — liberalis.* 49 *fatuus est: hoc est 'ex usu tuo'.* C *insulsus: sine — facilitate.* D *tardus — scilicet. stertit: — dormit. noctesque et dies: plus significat quam si ⟨diceret⟩ 'diebus ac noctibus',*

ut hoc ipso nomine consiliarii auctoritas inesse videatur.
49 *fatuus: — animo. tardus: corpore — et hic 'insulsus' est* [omissa est explicatio vocis 'tardus']. CD *sed mihi — odiosissima est. fatuus insulsus: sunt qui — loquentes.* E *fatuus est insulsus: haec — persequitur.*

> E *fatuus est insulsus: haec bene adduntur quia ⟨quod⟩ dixit 'et habet quod det et dat nemo largius' ad eam rem valebat ut amaretur miles a meretrice* eqs.

quid compilatori acciderit, in aperto est.

Adelph. III 2, 10 A *non intellego: ad hoc Sostrata ignorans inducitur ut malo nuntio repente feriatur. et quia oportuit ipsam priorem loqui, praesens loquitur. quia autem non est perdenda tam suavis ἠϑοποιΐα dolentis ad irascentem, idcirco non audit Geta, conversus ne ob illam loqui desinat.*

A *satis quae loquitur: adhuc non audiente Geta loquitur. idcirco nec audit eam servus nec videtur ab eo Sostrata . . .*

conservus libri corr. Teuber in Fleck. ann. 1891 p. 363 qui cetera non magis intellexit quam Westerhovius. scholium probissime procedit modo intellegas *priorem* quam Getam loqui oportuisse illam quae 'in praecedente scaena' adesse iam debuit: propterea in hac progresso Geta praesens est. *conversus ne:* conlocatio scholiastis adamata, ab editoribus obscurata Eun. IV 7, 40 (dist. *inimicitias,*) Hecyr. I 2, 63 (*meretrix, argumentis ut*)

adit Teuber perperam *loquitur* Sostrata. scholium mutilatum est a compilatore, sequebantur fere: 'ne perdatur suavis ἠθοποιΐα dolentis ad irascentem Geta loqui desinente.'

similia ad III 4, 14 Phorm. I 4, 16 *ad hoc nunc* (*nomen* V *dictum* cett.) *auditur Geta et ipse non videt adolescentes ut plus illis terroris incutiat dum secum loquitur.*

Hecyr. V 1, 29 *exple animum: quod illis prosit.* ergo olim sequebatur scholium tale: *teque hoc crimine expedi: quod tibi prosit*, locusque iis adnumerandus est quibus scholia pleniora olim fuisse efficiatur: cf. Leo in mus. Rhen. XXXVIII p. 328.

Valerii Probi (Berytii opinor) quae feruntur in scholiis Donateis conlecta proposuit Umpfenbachius p. XXXVIII. conlato autem scholio Phorm. II 3, 25 *male loqui: pro 'maledicere'. et quaerit Probus quis ante Terentium dixerit* cum aliqua veri similitudine eidem vindico quae ad Andr. I 1, 41 adnotata sunt *veritas odium p.: falsum est autem quod Cicero putat* (Lael. 89) '*obsequium*' *primo dixisse Terentium, cum et Plautus et Naevius ante dixerint.*

quod &*tropitatio obsequium primo* A *quod Cicero primo obsequium primo* V: *quod Cicero dixit obs- pri-* dett. cf. Quintil. VIII 3, 35 *idem* (Cicero) *putat a Terentio primum dictum esse obsequium*

Deinde isdem et castigatori et defensori restituimus scholia

Phorm. V 9, 16 *mi homo dii melius duint: quaerit Probus an matrona tam familiariter recte dicat alieno, sed frustra. nam feminarum oratio etsi non blanditur blanda est.* Andr. V 4, 18 *et quaeritur an conveniant haec verba pro Pamphilo venienti. immo enim conveniunt, nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit ad ea quae loquitur.* Eun. III 5, 15 *nosti hanc quam amat frater: quaeritur an verisimile sit Antiphoni notam esse Thaidem quam frater ipse nesciverit. sed intellegere debemus modo notitiam non vultus sed famae positam esse, quam famam potuit ex Phaedria et Antipho scire. at vero aliam notitiam negaverat Chaerea sibi fuisse cum Thaide hoc est visus* [*vultus*] *et oris et corporis.* cf. schol. q. s. Eun. V 2, 39 *scio: unde sciat Thais inepte* (*unice*† V *inepte* dett. Stephanus) *quaeritur cum ipsa res clamet numquam hanc condicionem ut pro eunucho et servo se fingeret subiturum Chaeream sine amoris impulsu.* cf. schol. p. 366, 25 Kl.

Vides locos peraeque comparatos esse: obicit alter quaestionem maligne, defendit alter, laudator Terentii. Probum vero quanto opere deceant illae severi iudicii reliquiae quae rarissimae sunt prae laudibus toto commentario personantibus, opus non est monere.

Terentium a Probo 'adnotatum' fuisse ne statuamus, verbis compilatoris eius qui anecdotum Parisinum confecit non impedimur (p. 138, 7 Reiff.); ut statuamus adducimur a Suetonio de gramm. p. 118, 13 sq. ubi de veteribus praecipue scriptoribus agitur, et iis quae in scholiis Probiana insunt. notavit igitur *proprias ipsius* (poetae) *figuras*, *interdum ea in quibus copiosus est* (πυκνός ἐστι), sicut Aristarchus diplen adposuit ὅτι ἐπίφορός ἐστι πρὸς τὸν ἐννέα ἀριθμὸν vel ὅτι Ὁμηρικὸν τὸ ἔθος ὥστε ἔξωθεν τὸ τὶς προσλαμ-

βάνειν: quod genus observationis in scholiis tragicorum propagabatur velut εὐεπίφορος ὁ Σοφοκλῆς εἰς τὸ τρέφω ἀντὶ τοῦ ἔχω, cf. Roemerus in commentt. acad. Monac. XIX p. 662. iam apparet cuius non dicam auctoritati at disciplinae adtribuenda sint talia: *nam 'ab eo' amat Terentius pro 'eius' ponere* (Eun. III 5, 9) *is ubi molestus magis est: more suo 'magis' addidit ne diceret 'molestior'* (III 1, 24) *figurae proprie Terentianae, ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις* (Andr. I 5, 50) *quis hic loquitur: principium Terentianum in iungendis personis* (ibid. 32) *etiamne amplius: mundat Terentius ut solet res huiusmodi per ἔλλειψιν suam* et similia innumera.

Saturam contulimus, finiamus satirice. Westerhovium admiratur Hartmanus: nec mirum: par parem. fuit enim ille altissimo praeditus ingenio et abstrusulo, ut τὰ ἐμποδὼν videre nollet caelestes rimaretur plagas. et quoniam alios quoque illius commentis delectari vidi, paucis adiunctis emendatiunculis istos simul notabo.

Adelph. II 1, 29 *aequam omnibus: quasi dicat 'ubi non est quomodo* (*quando* libri vulg.) *Aeschinus loquitur.'* III 4, 17 *neque boni: quasi id quod est vel id* (*velit* libri vulg.) *quod esse debet*, cf. p. 86, 28 Kl.; *quasi id quod eum velim et quod* Scheidemantel IV 7, 33 *et nova nupta eadem haec discet: alius 'audiet' diceret* (-*re* libri vulg.), *sed o magna in verbis elegantia. vide enim quam vim significet 'discet'*; explicatur amaritudo Demeae per singula (cf. schol. v. 1. 3. 4. 8. 10. 31. 34), argute quidem.

Adi Westerhovium καὶ γέλασον ἡδέως. vel si piget, provocabo: Hecyr. I 2, 13 *Athenarum arbitror: quod dixit 'hinc'* (11) *ante πεδοικην Athenarum. et amphibolia 'te desiderium cepisse'.* doctus Lindenbrogius adnotavit: 'ante πεδοικην] Ita MS. Hesych. πεδοίκους μετοίκους vocat. hinc ergo de medela cogitandum.' itaque Westerhovius: *quod dixti 'hinc', ante μετοίκησιν. Athenarum te desiderium cepisse: ἀμφιβολία.* — fuit autem ἀνταπέδωκεν *'Athenarum'.* Adelph. III 4, 36 *hunc abduce: ut 'tu Voluse armari Volscorum edice maniplis'* (Aen. XI 463). *nam postea e littera huiusmodi verbis aucta est.* Westerhovius: 'vel *addita* vel *adiecta.*' contrarium desideratur, cf. schol. Bembinum (Herm. II p. 390). ergo: *ablata*, nam ita grammatici (V 555, 18 K. IV 263, 12. 396, 12).

II

Plutarchus σύγκρισιν Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου ita instituit, ut huius virtutes vitiorum illius comparatione inlustraret. idem similiter in quaest. symp. VII 8 c. 3 veterem cum nova comparavit comoedia. qua in re quid novaverit Plutarchus, quid ab aliorum iudicio acceperit, in medio relinquo. nam quamquam in symposiacis de bene bibendo quaeritur et morali quaestione com-

paratio litterarum velut involuta est, cύγκριcιc autem ad sermonem maxime iudicandum derecta, certe ex iudicio viri litteratissimi passim grammaticorum emergit censura. id quod animadvertet quicunque cum Plutarcheis ea composuerit quae vel de Menandro vel de diverso antiquae et novae charactere comoediae observata sunt in tractatu de com. V p. XVI 6 Duebn., in Dionysii libro de imitatione II et Dionis Chrysostomi orat. XVIII, apud Quintilianum lib. X 1, 69 sqq., in anth. Pal. IX 187, a Caesare et Cicerone in vita Terentii Suetoniana (quibuscum conferas schol. Donati in Phorm. prol. 5), denique apud Latinos de comoedia auctores Euanthium (qui dicitur) p. 5, 16 et 18 Reiff., Diomedem p. 9 Suet. Reiff. atque in libro glossarum (CGL. V 181).

Extat similis cύγκριcιc inter Romanos. EVANTHIANO enim commentario Terentii insertum erat iudicium de arte poetae (p. 6 Reiff.), quo ut apud Plutarchum Menandri virtutes ad comparationem Aristophanis et veterum recensentur, ita Terentii laudes ex Plauti et ceterorum vitiis conliguntur. huius iudicii unus priusquam pedem proferamus locus accurate explicandus est: *adde quod* *a r g u m e n t i* *a c* *s t i l i* *ita attente memor est ut nusquam non aut caverit aut curaverit quae obesse potuerunt, quodque media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri sed aptum et ex se totum et uno corpore videatur esse compositum* (6, 22 sqq.). duplex hic de duabus 'partibus' (μέρεcι) comoediae fertur iudicium: non modo argumentum (μῦθοc) concinnum et quasi unum est, sed etiam stili (λέξεωc) laudatur nulla diversitate impedita et semper eadem aequalitas, sicut in Accio inaequalitatem sermonis notat Fronto p. 114 N., in Arellio oratore eandem Seneca controv. II 1 in., in Apollonio aequalem quandam mediocritatem Quintilianus X 1, 54. coniuncta autem habes similiter argumentum et stilum in praefationibus Donateis, cf. Adelph. p. 6, 19 Reiff. *prodest autem et delectat actu et stilo* Hecyr. p. 12, 13 *est autem mixta motoriis actibus ac statariis multumque sententiarum et figurarum continet in toto stilo.* apud Euanthium quibus fuse explicatur illud iudicium duplex, ea ita comparata sunt, ut alia magis ad argumenti concinnitatem videantur pertinere: *quodque media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri* (cf. Horat. a. p. 152), alia optime ad sermonis ὁμαλότητα describendam quadrent: *sed aptum et ex se totum et uno corpore videatur esse compositum*, cf. Quintil. VIII 3, 60 *cui* (*σαρδισμῷ*) *simile vitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat — id enim tale monstrum quale Horatius in prima parte libri de arte poetica fingit* (sequuntur vv. a. p. 1 sq.) — *et cetera ex diversis naturis subiciat.*

Iam Plutarchi cύγκριcιν cum Euanthiana compono.

cap. I de Aristophane: ἔνεcτι μὲν οὖν ἐν τῇ κατασκευῇ τῶν ὀνομάτων αὐτῷ τὸ τραγικὸν τὸ κωμικόν, τὸ cοβαρὸν τὸ	p. 6, 17 Reiff. (Terentius) *temperavit affectum ne in tragoediam transiliret. quod cum aliis* *r e b u s* *minime obtentum et a Plauto et ab*

πεζόν, ἀσάφεια κοινότης, ὄγκος καὶ δίαρμα
aliter Menander cf. cap. II

Afranio et Appio† *et multis fere magnis comicis invenimus. — eius fabulae eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem*

σπερμολογία καὶ φλυαρία ναυτιώδης, cf. sympos. l. c. (veteris comoediae) ἥ τε πρὸς τὰ σκώμματα καὶ βωμολοχίας εὐχέρεια δεινῶς κατάκορος καὶ ἀναπεπταμένη καὶ γέμουσα ῥημάτων ἀκόσμων καὶ ἀκολάστων ὀνομάτων. aliter Menander cf. cap. II.

neque abiciantur ad mimicam vilitatem.

καὶ τοσαύτας διαφορὰς ἔχουσα καὶ ἀνομοιότητας ἡ λέξις

οὐδὲ τὸ πρέπον ἑκάστῃ καὶ οἰκεῖον ἀποδίδωσιν, οἷον λέγω βασιλεῖ τὸν ὄγκον eqs.

cap. II ἡ δὲ Μενάνδρου φράσις οὕτω συνέξεσται καὶ συμπέπνευκε κεκραμένη πρὸς ἑαυτὴν ὥστε — μία τε φαίνεσθαι καὶ τὴν ὁμοιότητα τηρεῖν ἐν τοῖς κοινοῖς καὶ συνήθεσι καὶ ὑπὸ τὴν χρείαν ὀνόμασιν.

p. 6, 23 Reiff. *adde quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam non aut caverit aut curaverit quae obesse potuerunt, — ut nihil additum alteri sed aptum et ex se totum et uno corpore videatur esse compositum.*

ἀλλὰ Μένανδρος οὕτως ἔδειξε τὴν λέξιν, ὥστε πάσῃ καὶ φύσει καὶ διαθέσει καὶ ἡλικίᾳ σύμμετρον εἶναι.

p. 6, 12 *tum personarum leges circa habitum aetatem officium partes agendi nemo diligentius Terentio custodivit.*

sympos. l. c. de veteribus ἔτι δ' ὥσπερ ἐν τοῖς ἡγεμονικοῖς δείπνοις ἑκάστῳ παρέστηκε τῶν κατακειμένων οἰνοχόος, οὕτω δεήσει γραμματικὸν ἑκάστῳ τὸ καθ' ἕκαστον ἐξηγεῖσθαι, τίς ὁ Λαισποδίας παρ' Εὐπόλιδι καὶ ὁ Κινησίας παρὰ Πλάτωνι καὶ ὁ Λάμπων παρὰ Κρατίνῳ καὶ τῶν κωμῳδουμένων ἕκαστος· ὥστε γραμματοδιδασκαλεῖον ἡμῖν γίνεσθαι τὸ συμπόσιον ἢ κωφὰ καὶ ἄσημα τὰ σκώμματα διαφέρεσθαι. aliter Menander.

p. 6, 21 *adde quod nihil abstrusum ab eo ponitur aut quod ab historicis requirendum sit, quod saepius Plautus facit et eo est obscurior multis locis.*

de Menandro ibid.: τὰ δὲ πρὸς ἑταίρας ἂν μὲν ὦσιν ἰταμαὶ καὶ θρασεῖαι —· ταῖς δὲ χρησταῖς καὶ ἀντερώσαις ἢ

p. 6, 13 *quin etiam solus ausus est cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur etiam contra praescripta comica meretrices inter-*

πατήρ τις ἀνευρίσκεται γνήσιος ἢ eqs. *dum non malas introducere: quibus tamen cur bonae sint et voluptas per ipsum et causa non desit.*

NOTAE ad Euanthium: p. 6, 17 sqq. cf. Varro ap. Gellium VII 14. aliter schol. Andr. IV 5, 13 Kl. *sed critici adnotant altius esse charactere comico 'tetulissem pedem'*, cf. ad V 1, 13 Adelph. IV 5, 4 *Appio*: sic codd. boni uno ore, cf. Fleck. ann. suppl. X p. 685 de mimica vilitate evitata cf. schol. Eun. IV 4, 27, ubi Plauti nugae simul castigantur p. 6, 23 argumenti concinnitas Graecorum quoque novae comoediae proprium iudicabatur, cf. p. 5, 17 et Diomedem. aliter Plautus, cf. Horat. epist. II 1, 174 p. 6, 12 cf. Varro ap. Charisium (Wilmans p. 206) et in Parmenone frg. XV. item schol. Adelph. V 9, 29, ubi Truculentus Plautinus vituperatur p. 6, 21 conlegit talia e Plauto Mommsenus hist. Rom. tom. I[7] p. 893 sq. p. 6, 13 *fidem veritatis*: cf. Aristophanis grammatici iudicium de Menandro quod Quintilianus repetit (X 1, 69): *ita omnem vitae imaginem expressit.*

Credimus Plutarcho vel eis quos secutus est viris sagacissimis vera esse illa de Menandro: de Terentio quae praedicat Euanthius, sunt vera. tamen num tanta inter Graecum criticum et Romanum consonantia iudicii, praesertim in comparatione ut illic Menandri et veterum ita hic Terentii et ceterorum comicorum, veritate sola satis explicata sit, dubito vehementer. immo dicam quod sentio: Romanum lectitasse suspicor quae Graeci de suis iudicarant, et ad illorum exemplum suam comparationem sano iudicio delineasse.

Hoc si recte conicimus, vide quam bene quadret ad optimae aetatis studia Romanorum. et enim illi historiam litterarum suam quomodo secundum ea excoluerint et delineaverint quae Graeci (in primis peripatetici) de suis litteris exploraverant, id a Leone doctis curis inlustratum est. sed etiam in poetice quae 'est ars earum rerum' cum vestigia doctorum Graecorum premerent, sive poematum proprie Romanorum genera ad Graecam amussim exegerunt, velut Varro poematos dramatici generibus Graecis, *tragicae comicae satyricae mimicae*, composuit Romana *praetextatam tabernariam Atellanam planipedem* (cf. Usenerus in relatt. acad. Monac. 1892 p. 614 sqq.), sive quae formulae et imagines in iudiciis litterarum a Graecis criticis vel hominibus elegantioribus frequentabantur eas imitati sunt. ita Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε, ἀποτορνεύειν ὀνόματα, similia suscitabant *tornatos* versus, *tornum* poetae adhibendum (cf. Bentleyus ad Horat. a. p. 441) et *caelatum novem Musis opus* ubi Musae quoque imitatione Graecorum criticorum advocantur (cf. Aelius Stilo ap. Quintil. X 1, 99); *lima* opus erat Romanis litteris ut Graecis τὸ κατερρινημένον εἰπεῖν et φράσιν ῥινεῖν, *incudi* versus reddi iubet criticus Romanus, quia στίχον Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ' ἄκμοσι Graeci laudabant. frequentissima in talibus imitatio Graecorum est: *currendi properandi* imago in iudiciis litterarum usitata a Graecis, deinde a Romanis; *fluit* Cratinus Aristophani, Callimacho Apollonius, Pindarus Eustathio (prooem. Pind. cap. 2 et 4 Schneidewin) et Horatio, eidem Lucilius, Lysias et Cicero Quintiliano (X 1); *mel* poetarum a criticis Graecis, deinceps

Romanis celebratur, cf. Robert-Tornow de apium mellisque ap. vett. signif. et symbol. et mythologica p. 100—118. transeo ad singula de singulis scriptoribus iudicia. quae critici Romani ut a Graecis reciperent et in suos scriptores depingentes transferrent, facile vel eo adducebantur quod exemplaria Graeca cum imitatoribus Romanis studiose comparabant, de arte imitandi diligenter considerabant et praecipiebant (Horat. a. p. 133). floruere haec comparandi studia primo et ante et post Chr. n. saeculo. Varro Adelphorum Terentianae principium praetulit principio Menandri, ut Suetonius testatur, Cicero Sophoclis et Atilii Electras comparavit: cuius de finib. lib. I capp. 2—3 legas tota. obtrectatores Vergilii conlegerunt Homerica non ut furti tantum poetam arguerent (id quod grammaticos illius aevi decebat), sed etiam de singulis locis cum Graeco conlatis iudicium fecerunt, obstrepentibus eadem ratione laudatoribus. plena vero eiusdem studii testimonia servavit Gellius: audimus criticos comoedias Latinas alternis lectionibus cum Graecis comparantes, Caecilium ad Menandri exemplum singula ad singula castigantes (II 23), Vergilium cum Homero Theocrito Pindaro et ceteris quorum verba latine expressit (IX 9 XVII 10 cf. Macrob. V cap. 17), Ennium cum Euripide (XI 4) sagaciter conferentes et componentes. Asprum et Probum eandem operam in Vergilio conlocasse scimus, in Terentio conicimus: quae resonant in scholiis Servianis ad bucolica (cf. in primis ad II 25) et Donateis in Terentium, cf. scholia simillima Eun. IV 4, 22 Hecyr. III 4, 26 Phorm. I 2, 41. nec vero in singulis locis rimandis et cum Graeco comparandis acquievit criticorum Romanorum industria, sed universam scriptoris artem et ingenium cum Graeco exemplari contulerunt et aestimaverunt quid utrique commune quid proprium esset. prodit Plutarchus Graecus ille quidem sed qui σύγκρισιν Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος instituerit — licet enim a poetis ad ceteros scriptores excurrere —: ante Plutarchum Caecilius, post eum Quintilianus. Terentius *dimidiatus Menander* erat Caesari qui utriusque χαρακτῆρα comparavit: comparavit Cicero a Suetonio laudatus. et quam firme studium componendi Romanorum illius aevi criticorum disciplinae insederit, inde luculenter patet, quod certa quadam et constanti formula in iudiciis illorum Graeci adhibebantur: *Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, ut critici dicunt* ab Horatio impugnati, in primis Varro; ab eisdem *dicitur Afrani toga convenisse Menandro, Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi*; lyricus egregius Romanus est alter Alcaeus, elegiarum scriptor alter Callimachus vel Mimnermus (epist. II 2, 94 sqq.).

Tales ad comparationes a criticis Romanis ea velut pro fundamento habita esse quae de quoque Graeco Graeci observarant critici, consentaneum est: et constat Graecorum κρίσεις Romae lectitatas fuisse. itaque paene necessario Graecorum scriptorum censurae in Romanos defluxere, et depingebantur et immiscebantur si cui iudicandum erat de altero Homero, altero Menandro, altero Demosthene

Romanis. nec deest testis huius rei locupletissimus. Quintilianus enim in censura scriptorum Graecorum et Romanorum quae de Graecis profert, Graecis debet criticis quibus Cicero Dionysius Dio Chrysostomus sua isdem debent, v. Usenerus ad Dionysii libros de imitatione: Romanos autem ad effigiem Graecorum depinxit. quod ipse indicat ubi Sallustium et Livium recenset: *nec opponere Thucydidi Sallustium verear nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt: adfectus quidem praecipueque eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commodavit magis. ideoque illam inmortalem Sallusti velocitatem diversis virtutibus consecutus est.* igitur iudicia quae de Graecis edita legerat et ipse receperat (73), paene ad verbum ad Romanos adplicuit. dele ex his commemorationem Thucydidis et Herodoti: habebis idem quod in iudicio Euanthiano videbamur observare. sed etiam in ceteris haec ratio ni fallor animadverti potest: quamquam modeste adfirmo. recenset Quintilianus inter historicos Graecos Ephorum Philistum Theopompum. *Ephorus* inquit, *ut Isocrati visum, calcaribus eget*, quae Dio explicet orat. XVIII τὸ δὲ ὕπτιον καὶ ἀνειμένον τῆς ἀπαγγελίας σοι οὐκ ἐπιτήδειον. contraria est λέξις συνεσταλμένη stilus pressus. de Servilio Noniano igitur, Romano historico, Quintilianus haec: *clari vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat.* prodit alter Ephorus. pergit Fabius: *quam — Bassus Aufidius egregie — praestitit*, quae quomodo cum antecedentibus cohaereant qui reputaverit, in Basso Aufidio fortasse alias quoque virtutes certe pressam brevitatem laudari statuet. adest igitur alter Philistus: hic enim *imitator Thucydidi* fuit (74), cf. Cicero Brut. 66 *nam ut horum concisis sententiis interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus.* Conferam cetera.

> Quintil. X 1, 104: *habet amatores nec inmerito Cremuti*† *libertas, quamquam circumcisis quae dixisse ei nocuerat: sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his quae manent.*

De Theopompo maledicentissimo (Nepos Alcib. 11) Dionysius, qui illius παρρησίαν laudat in libro de imitatione II p. 25, 13 Us., haec exhibet in epist. ad Pompeium cap. VI: διαλλάττει δὲ τῆς Ἰσοκρατείου (λέξεως) κατὰ τὴν πικρότητα καὶ τὸν τόνον ἐπ' ἐνίων, ὅταν ἐπιτρέψῃ τοῖς πάθεσι, μάλιστα δ' ὅταν ὀνειδίζῃ πόλεσιν ἢ στρατηγοῖς πονηρὰ βουλεύματα καὶ πράξεις ἀδίκους· πολὺς γὰρ ἐν τούτοις, καὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος οὐδὲ κατὰ μικρὸν διαφέρει, ὡς ἐξ ἄλλων πολλῶν ἄν τις ἴδοι κἀκ τῶν Χιακῶν ἐπιστολῶν ἃς τῷ ⟨συμφύτῳ⟩ πνεύματι ἐπιτρέψας γέγραφεν, cf. Cicero Brut. 66 *officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae.* Similia Quintilianus (74) quamquam de

Theopompo ipse referre noluit, tamen legisse sumendus est, quia ab isdem auctoribus pendet ac Dionysius et Cicero, v. quae ipse profitetur (80): *neque ego in his de quibus sum locutus, has solas virtutes sed has praecipuas puto.*

Oratores Cicero et Demosthenes inter se comparantur. sequitur (113) Asinius Pollio:

> *multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et consilii et animi satis.*

Isocrates — in inventione facilis, honesti studiosus, in compositione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur.

Philosophus Cicero cum Platone confertur.

> (124) *scripsit non parum multa Cornelius Celsus Sextios secutus, non sine cultu ac nitore.*

nam in Theophrasto tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur.

> (124) *Plautus in Stoicis rerum cognitioni utilis.*

(84) *minus indulsere eloquentiae Stoici veteres — rebus tamen acuti magis quam, id quod sane non adfectaverunt, oratione magnifici.*

> *in Epicureis levis quidem sed non iniucundus tamen auctor est Catius.*

quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inadfectatam.

> (125—127) Senecae genus dicendi castigat. *cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. tractavit etiam omnem fere studiorum materiam: nam et orationes eius et poemata et epistulae et dialogi feruntur.*

quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi vi ac suavitate an inventionum acumine an varietate operum clariorem putem. — Seneca dimidiatus Aristoteles est.

Quintilianus igitur, ut rem comprehendam, cum censuram Romanorum ageret, χαρακτῆρας Graecorum scriptorum quos Graeci delinearant critici, adhibuit et ubi Romanum intellexerat cum Graeco posse conferri, illum ad huius imaginem depinxit a criticis Graecis conformatam. eadem ratione in iudicio Euanthiano *dimidiatum Menandrum* depictum esse credimus et studiis criticorum Romanorum consideratis videmur comprobasse.

Restant autem quas rimemur κρίσεις Romanorum, in primis Varronis: eas nunc non rimamur. nam ταῦτα μεταφρασόμεσθα καὶ αὖτις.

III

PRAEFATIONES comoediarum Donateas tam aequali ordine omnes dispositas, ordinem ipsum tam aequali in omnibus stilo pertractatum esse, ut ab uno illas interprete conceptas fuisse certum sit, non ego animadverto primus. ordo autem capitum tractatum de fabula alterum sequitur, est enim hice:

I nomen fabulae Latinae et Graecae, cf. tract. p. 10, 2 sqq. Reiff. II species, motoria an stataria an mixta, cf. tract. p. 10, 5 sqq.: *comoediarum formae sunt tres, palliatae Graecum habitum referentes [quas nonnulli tabernarias vocant], togatae iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes, Atellanae salibus et iocis compositae quae in se non habent nisi vetustatum elegantias* — cum tract. gemello p. 7, 19 sqq.; utroque loco subsequuntur quattuor partes comoediae, de palliata autem, togata, Atellana iam dictum est et dictum aliter p. 9, 25 sqq. ergo palliatae togatae Atellanae p. 10, 5 sqq. retractatori debentur, *tres formae* fuere motoria stataria mixta, pro quibus illas substituere proclive erat, cf. schol. in Horat. a. p. 288 *comoediarum genera sunt sex: stataria motoria praetexta tabernaria togata palliata* III iudicium de fabula morale, excerpuntur (in Andria) exempla; in Phormione laus temperamenti comici IV partes personarum V prologus protasis epitasis catastrophe, cf. tract. p. 10, 8 sqq. VI didascalica, cf. tract. p. 11, 1—12, 17 VII diverbia et cantica, cf. tract. p. 12, 7 sqq. VIII προτατικὸν πρόσωπον IX varia X argumentum XI actuum divisio.

Tamen aliqua in singulis diversitas intercedit.

1) Vide caput VII in Andria: *diverbiis autem et canticis lepide distincta est*; in Hecyra: *cantica et diverbia summo in hac favore suscepta sunt*; in Phormione: *totaque diverbiis facetissimis et gestum desiderantibus scenicum et suavissimis ornata canticis fuit.*

Ea simillima sunt inter se, dissimillima his quae et in Adelphis et in Eunucho exhibentur inter se simillima:

in Adelphis: *modulata est autem tibiis dextris id est Lydiis ob seriam gravitatem qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta, saepe tamen mutatis per scenam modis cantata, quod significat titulus scenae habens subiectas personis litteras M · M · C ·, item diverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quae significantur D · et V ·* (· *D* · l · *U* · sic A) *litteris secundum personarum nomina praescriptis in eo loco ubi incipit scena*; in Eunucho: *diverbia multa crebro pronuntiata et cantica saepe mutatis modis exhibita sunt.*

In his igitur mutati modi audiuntur qui in illis pariter silentur; de diverbiis autem miri aliquid narratur: *crebro (ab histrionibus) pronuntiata sunt.* quae verba ad revocatas a spectatoribus partes fabularum — cuius rei exempla composuit Bergkius Philol. XXXI p. 238 adn. 9 — quoniam abstrusum est referre, cf. Ritschelius opp. III p. 35 adn. 59, nec minus abstrusum frequentatam Adelphorum et Eunuchi actionem ex illis elicere qualem similiter de bucolicis Vergilii Donatus ipse testatur: *bucolica eo successu edidit ut in scena quoque per cantores crebro pronuntiarentur* (p. 60 Sueton. Reiff.): unum restat ut cum Ritschelio statuamus scholiastam voluisse hoc: 'fabula multa habet diverbia.' itaque in Andria Hecyra Phormione laudibus efferuntur diverbia, in Adelphis et Eunucho

narrantur multa inesse (quis hoc ignorat?) et id balbe. vides quantum intersit. atqui in Adelphis coniunctissima illa sunt cum tibiis quas scholiasta inlustrat e tractatu (p. 12, 14 sqq.): ecce quae in tractatu ante ipsam tibiarum descriptionem sunt: *diverbia histriones pronuntiabant. cantica vero temperabantur modis non a poeta sed a perito artis musicae factis. neque enim omnia isdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis ut significant qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici.* hinc ergo *saepe mutati modi* in praefationibus, hinc *diverbia ab histrionibus pronuntiata*; et qui inde cantica arripuit *saepe* mutatis modis exhibita, is diverbia quoque *crebro* vel etiam *multa crebro* (sic V) pronuntiata esse voluit. unde autem notae *M · M · C · et D · V ·* in praefatione Adelphorum? enimvero in tractatu utramque olim adhibitam fuisse, illam ut statuamus ipsis verbis excerptoris (p. 12, 10) monemur, hanc ne statuamus nulla re prohibemur. ex pleniore igitur quam quae nunc fertur commentatione in praefationes Adelphorum et Eunuchi illa inlata sunt: in ceteris nil tam stupidae imitationis.

2) Observatio de actibus fabulae brevis in praefationibus Adelphorum Eunuchi Hecyrae invenitur vel ante vel post caput quod distinxi V. nec deest in Andria prima fabula ubi (p. 5, 3 Reiff.) ratio dividendi fusius explicatur totumque caput discriptioni actuum ipsi antepositum est. in Andria et Hecyra ita se habet

in Andria: *difficile est divisionem actuum in Latinis fabulis internoscere obscure editam. causam iam dudum demonstravimus* (scil. tract. p. 5, 25 sqq.); in Hecyra: *divisa est autem ut ceterae quinque actibus legitimis quos in subditis distinguemus* (p. 12, 16);

acquievit igitur interpres in iis quae in tractatu satis accurate exposita erant;

in Adelphis et Eunucho ita

in Adelphis: *hoc etiam ut cetera huiusmodi poemata quinque actus habeat necesse est choris divisos a Graecis poetis: quos etsi retinendi causa iam inconditi spectatoris minime distinguunt Latini comici metuentes scilicet ne quis fastidiosus finito actu velut admonitus abeundi reliquae comoediae fiat contemptor et surgat, tamen a doctis veteribus discreti atque disiuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem* (p. 7, 1); in Eunucho: *actus sane implicatiores sunt in ea et qui non facile a parum doctis distingui possint ideo quia tenendi spectatoris causa vult poeta noster omnes quinque actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum ante aulaea sublata fastidiosus spectator exsurgat* (p. 10, 6);

recoquitur in his iterum tractatus (p. 5, 25 sqq.).

3) Ad distributionem actuum formulae in Andria Hecyra Phormione adhibentur hae:

in Andria	in Hecyra	in Phormione
primus actus continet	*primus actus continet*	*primus actus est*
secundi actus haec sunt	*secundi actus tenor in hoc est*	*secundi actus tenor continet*
tertio actui haec attribuuntur	*tertio actui haec ascribuntur*	*tertio actui attribuitur*
quartum actum per haec intellegimus	*quartum actum haec complent*	*quartum actum ista concelebrant*
in quinto actu	*in quinto actu*	*in quinto actu*

en quaesitum artificium: declinationis ordinem formulae ita sequuntur ut primus actus primum obtineat casum, secundus secundum et sic deinceps.

At in Adelphis et Eunucho duae formulae simpliciter adpositae:

in Adelphis	in Eunuchi
primus actus haec continet	*in primo actu*
secundus actus haec continet	*secundus actus continet*
tertius actus haec continet	*tertius actus exprimit*
quartus actus haec continet	*in quarto actu*
quintus actus haec continet	*quintus actus haec continet.*

4) Prologi in Andria Hecyra Phormione ita delineantur in Andria: *prologus in hac acer inducitur et in adversarios non mediocriter asperatus; sed tamen id subtiliter fit, ut omnia lacessitus facere videatur ac dicere;* in Hecyra: *in hac prologus est et multiplex et rhetoricus nimis propterea quod saepe exclusa haec comoedia diligentissima defensione indigebat;* in Phormione: *prologus Phormionis nimis concitatus est adeo ut ipse semet veluti reprehendat ob hanc ipsam pervicaciam et simul argumentum suae purgationis inducat*;

in Adelphis et Eunucho ita

in Adelphis: *in hac prologus aliquanto lenior inducitur; magis etiam in se purgando quam in adversariis laedendis est occupatus;* in Eunucho: *huius prologus sane est concitatior; nam et obicit crimina adversantibus et comminatur in posterum et accusatorie narrat iniuriam Terentio factam et ad ultimum tumultuose et cum magna invidia defendit poetam.*

In his igitur aperte bipertitum officium prologi perlucet, quod describitur in tractatu: (prologus) *συστατικὸς commendaticius quo poeta vel fabula commendatur, ἐπιτιμητικὸς relativus quo aut adversario maledictum (refertur)* p. 10, 11 sq. in Andria et Phormione eadem fere, sed alia ratione dicta sunt et ita quidem ut duplex officium curiose e tractatu expressum esse neges. tamen prologi ipsi eiusmodi sunt, ut facile potuerit exprimi ab interprete; at in Adelphis ubi aegre potuit idem non neglegitur: *magis etiam in se purgando quam in adversariis laedendis est occupatus.* —

Constituimus iam ex altera parte praefationes Adelphorum et Eunuchi, ex altera Andriae Hecyrae Phormionis, utrasque

suo proprio modo coniunctas: et illarum id proprium est ut quae in tractatu edisseruntur, in illis ea recoquantur et curiose adhibeantur. quae diversitas cum ita nusquam explicari queat ut certa adductum ratione scholiastam quod in illis fecerit, in his non fecisse dicas, aliunde causa repetenda erit. interim aequalem in Adelphis et Eunucho proprietatem praefationum aliis indiciis inlustrare pergimus, quibus ne ipsis multum tribuamus, tamen coniunctis cum ceteris aliquid accrescat necessarii.

5) Tibiae adhibentur fabulis hae

Andriae: *tibiis paribus dextris vel sinistris*, Adelphis: *tibiis dextris id est Lydiis ob seriam gravitatem qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta*, Eunucho: *tibiis dextra et sinistra ob iocularia multa permixta gravitati*, Hecyrae: *tibiis paribus*, Phormioni: *tibiis Sarranis*.

In didascaliis codicum Terentianorum has audimus

in Adelphis: *tibiis Sarranis*, in Eunucho: *tibiis duabus dextris*, in Hecyra: *tibiis paribus* (*parilibus*), in Phormione: *tibiis imparibus* (in Calliopianis, in Bembino desunt).

Praefationes igitur dissentiunt a libris Terentianis in titulis Adelphorum Eunuchi Phormionis. quam dissonantiam Dziatzko ita expedivit, ut Donatum (liceat enim hoc nomine abuti) mutasse licenter suspicaretur et tales substituisse tibias, quas ipsi indoles fabularum desiderare videretur secundum illa quae in tractatu de tibiis exposuisset: *agebantur autem tibiis paribus et imparibus id est dextris aut sinistris. dextrae autem tibiae sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiabant, sinistrae Sarranae acuminis levitate iocum in comoedia ostendebant, ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mixtim ioci et gravitates denuntiabantur* (p. 12, 13 Reiff.), cf. mus. Rhen. XX p. 597 sq. haec igitur suspicio in Adelphos Eunuchum Phormionem cadit: in Andria et Hecyra certum est scholiastam non mutasse, quoniam in hac tibiae cum libris Terentianis consonant, in illa, ubi libri deficiunt, si indoli vel seriae vel iocosae vel mixtae tibias adaptasset, non *pares* (quasnam?) aut, si tenes illa (cf. Dziatzko l. c. p. 595 sq.), *pares dextras vel sinistras*, sed aut dextras aut sinistras aut dextram et sinistram e tractatu dedisset. sed ne Phormioni quidem quae adtribuuntur in praefatione contra Calliopianos tibiae Sarranae, eas interpolatas esse concedimus ab auctore praefationis. et enim ipse eiusdem fabulae ἦθος ita describit: *haec igitur tota motoria est quasi et in affectibus constituta paene maioribus quam comicus stilus posceret, nisi quod arte poetae omnia moderata sunt* (p. 14, 7 Reiff.); deinde: *atque in ea cum et protasis et epitasis et catastrophe magni moliminis et negotii sint, ita variis leporibus asperguntur, ut etiam rerum tristium gravitatem poeta lepidus comica serenitate tranquillet* (ibid. 12). ergo tali fabulae si tibiae adsignandae erant, num adsignasset Sarranas, quae *acuminis levitate iocum in comoedia ostendebant*, ac non si minus dextras certe dextram et sinistram? tale

qui sibi persuaserit is cantica quidem, quorum naturae tibias adaptatas fuisse scholiasta narrat, mere iocularia, universae tamen indolem fabulae, cuius dimidiam fere illa efficiunt partem, paene tragicam visam esse statuat. quod absurdum est. immo canticorum naturam tibiasque cum universa fabula sumimus ita conspirasse, ut interpretem quod de ipsa fabula pronuntiabat iudicium ei contrarias elegisse tibias vix sit verisimile ac ne vix quidem. atque ipsis verbis hoc plene confirmatur, quibus in tractatu utitur: *seriam comoediae dictionem* ait, non 'canticorum', *iocum in comoedia ostendebant.* quamobrem sicubi est scholiastae elevanda fides, restant praefationes Adelphorum et Eunuchi, quae a Phormione vel eo differunt quod in illis tibiarum redditur ratio: *tibiis dextris id est Lydiis ob seriam gravitatem qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta* et *tibiis dextra et sinistra ob iocularia multa permixta gravitati*; in Phormione breviter: *tibiis Sarranis.* iam quod ad illas adtinet nescias quid suspicione Dziatzkonis sit verisimilius. praefationes Adelphorum et Eunuchi utraque ut observavimus exacta curiosius ad ea quae in tractatu narrantur, ceterae non item; in ceteris tibiae aut incerti generis sunt (Andria Hecyra) aut a iudicio de fabula scholiastae etiam dissentiunt (Phormio), illarum in utraque (an casu?) tales ut secundum rationem in tractatu enarratam certum fabulae ἦθος inde significetur et cum iudicio scholiastae consentiat; in illis denique tibiae ipsae quae ad tractatum adspirant, dissonant a Bembini et Calliopianorum consensu, id quod in didascaliis ceterarum rarissime usu venit[1], in Adelphis et Eunucho saepe et ita quidem ut diversitatis ubique causa adferri possit e tractatu[2]; librorum vero tibiae Terentianorum in ipsis Adelphis et Eunucho cum fabulae indole ab interprete aestimata adeo non consonuissent ut qui tractatum religiose sequeretur, ei aut iudicium abiciendum aut tibiae mutandae essent: haec omnia eo concurrunt ut in Adelphis et Eunucho tibias credamus mutatas esse ab eodem qui in has praefationes tractatum quasi inferre studebat.

Quod si iam credimus potius quam suspicamur, quaerere licet certe in Phormione cur tibiae non item mutatae sint, ubi cur mutarentur, ne tanto quidem minus erat. atque idem cursus conclusionum facile percurritur, si quis cum Reifferscheidio Sarranas e tractatu (p. 12, 15) expulerit, quae tamen nihil est quod expellantur.

6) Actores provocamus. de iis in Adelphis et Eunucho haec narrantur

in Adelphis: *agentibus L. Ambivio et L. ⟨Minucio Prothymo⟩ qui cum suis gregibus etiam tunc personati agebant*, cf. Dziatzko mus. Rhen. XX p. 578; in Eunucho: *agentibus etiam tunc per-*

[1] certo exemplo unus est C. Rabirius aedilis in Hecyrae didascalia Donatea pro Cn. Cornelio Bembini et Calliopianorum commemoratus, cf. Dziatzko mus. Rhen. XXI p. 73. [2] cf. praeter tibias quae de Prothymo in Eunucho et de numeris didascalicis in Adelphis et Eunucho monenda erunt.

sonatis L. Numidio Prothymo L. Ambivio Turpione, cf. Dziatzko mus. Rhen. XXI p. 66.

Doctrina illa insulsius, ut observavit Dziatzko, arrepta est ex tractatu (p. 10, 1): *personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius Faliscus, tragoediam Minucius Prothymus.*

In ceteris nil eiusmodi. at in his L. Prothymus non est, qui igitur poterant illa inseri? ergo haec quidem in Adelphis et Eunucho proprietas quamvis cum condicione qualis iam explorata est illarum praefationum bene conveniat, facile tamen explicatur. sed Prothymus ipse in Eunucho contra consensum Bembini et Calliopianorum a Donato inducitur pro L. Atilio Praenestino: idem commemoratur in tractatu: vide an debeatur scholiastae qui quae in tractatu legerat didascaliis obtrudebat. si vero ille obtrusit Prothymum Eunucho, cur non item Andriae Hecyrae Phormioni? in Adelphis enim iam aderat.

7) Tituli didascalici in praefationibus hoc ordine procedunt:

in Andria et Hecyra	in Adelphis et Eunucho
I ludi	I ludi
II aediles	II aediles; desunt in Adelphis
III actor vel actores	III actores
IV modulator, tibiae	IV modulator, tibiae
V tota Graeca, cf. Ritschelius parerg. p. 264 sq. Dziatzko mus. Rhen. XX 592 sq.	diverbia et cantica persona protatica
VI quota fabula, consules; in Andria numerus initio didascaliae positus	VI quota fabula; desunt consules
VII (in Andria) inscriptio fabulae.	VII inscriptio fabulae
sequuntur: diverbia et cantica persona protatica	V e quibus Graecis contaminata; hoc in Adelphis post discriptionem actuum depulsum est (p. 9, 18 Reiff.).

Igitur in Adelphis et Eunucho interiecta sunt post caput IV (tibias) diverbia et cantica, quae cur hic inserta sint post ea quae supra disputavimus neminem latebit, simul persona protatica: sequuntur deinde capita VI cui consules desunt in utraque, et VII, claudit agmen caput V et id plane commutatum. et enim in Andria et Hecyra breve est: *tota Graeca*; ac licebat poetae nomen quod in didascaliis adiungi solet omittere, quoniam initio praefationis laudatum erat (p. 3, 2. 12, 9). aliter in Adelphis et Eunucho: non poeta modo redit sed etiam duae Graecae, e quibus una fabula Terentiana contaminata est, ex prologo repetuntur, idque ut ad retractatorem aliquem referendum esse intellegas, non desunt initio praefationis quae in ceteris inveniuntur eadem: *est igitur Menandri* (p. 6, 16), *et est palliata Menandri vetus* (p. 9, 19). poterant autem duae Graecae repeti etiam in Andria: cur non repetuntur?

Adelphoe igitur et Eunuchus ostendunt manum retractantis in

capite quinto. quod vero una suo loco motum est sextum caret consulibus in utraque fabula, in ceteris non caret. quo de infra exponendum est, ubi numeros fabularum didascalicos perscrutabimur.

Phormionem Andriae et Hecyrae protinus adiungere nolui, cum capita didascalica perscriberem. nam in hac praefatione caput IV et continentia videntur minus ad Andriam et Hecyram quam ad Adelphos et Eunuchum inclinare interiectis post quartum diverbiis et canticis:

IV *modos faciente Flacco Claudii filio tibiis Sarranis*
totaque diverbiis facetissimis . . . et suavissimis ornata canticis fuit.

VI *editaque est quarto loco M. Valerio et Cn. Fannio consulibus.*
persona protatica.

Tamen accuratius cum inspexeris, Phormionem hic quoque animadvertes cum Andria et Hecyra stare contra Adelphos et Eunuchum. neque enim ipsa modo de diverbiis et canticis observatio Adelphis et Eunucho dissimillima, Andriae et Hecyrae simillima est, protatica autem persona non simul interiecta est, sed suum tenet locum sicut in his: verum etiam 'Graecae' commemoratio, quae in Adelphis et Eunucho deinde repetitur, in Phormione omnino excidit, ut diverbia et cantica quae illius locum praeoccuparunt, pro illa festinantis errore substituta potius quam — ut in Adelphis et Eunucho — didascaliae ceteroquin integrae consulto inserta esse dicas. ac vide in illis caput *tota Graeca* motum esse universum ut deinde mutatum repeteretur, in Phormione 'Graecam' suppressam, 'totam' (*totaque*) suo loco relictam esse. quamobrem ut concedamus praeiectis diverbiis et canticis Phormionis praefationem Adelphis et Eunucho similem esse, tamen cetera adeo diversa sunt ab illis et Andriae Hecyraeque consentanea, ut hic quoque ex altera parte has cum Phormione, ex altera illas esse adfirmemus.

Haec ita proposuisse mihi videor ut praefationes omnes eadem ratione comparatas, proprio tamen modo in Adelphis et Eunucho, proprio in Andria Hecyra Phormione tractatas esse iam liqueat. quod ipsum ut plene perspectum habeamus, aliquid interest. veluti Dziatzko ex Eunuchi didascalia Donatea Minucium Prothymum, qui in libris Terentianis non egit, ut actorem fabulae tertium relatae — qua de re aliunde nil constat — nobis venditat (mus. Rhen. XXI p. 68), Leo ex illis quae in Adelphis et Eunucho ac non in ceteris de actoribus *etiam tunc personatis* praedicantur, docti aliquid extraxit (mus. Rhen. XXXVIII p. 342 sq.): nos quidem Dziatzkoni dubitanter, Leoni nequaquam adsentimur, quoniam ex tractatu de fabula, unde omnis pendet scholiasta in ipsis his praefationibus, utriusque doctrinae originem arguimus. sed maius est quod de praefationum Donatearum auctoritate vel fortuna per saecla et memoria coniecturam capere iam licet. urget enim quaestio, qua ratione illa diversitas explicanda sit vel si Adelphorum et Eunuchi praefationes

retractasse aliquem ais, quare has pariter attrectarit, ceteris pepercerit pariter.

In didascaliis Bembinis numeri fabularum ita se excipiunt: [I Andria] II Eunuchus III Heautontimorumenos IV Phormio V Hecyra VI Adelphoe; idem ordo fuit Calliopio. alius est in praefationibus Donateis: I Andria II Adelphoe III Eunuchus IV Phormio V Hecyra; periit Heautontimorumenos. Adelphoe igitur et Eunuchus ab ordine Bembini et Calliopii discedunt ita ut ludi tamen et actores Adelphorum, aediles Eunuchi sint iidem atque in libris Terentianis. quaeritur quid de ordine Donateo iudicandum sit. quam quaestionem ut sublevarent cum alii nihil quantum video sani protulerint, Dziatzko et Leo viri harum rerum peritissimi procedunt soli. atque ille quidem quae disputavit in mus. Rhen. XXI p. 84 sqq., iis acute iam respondit Scheidemantelius quaestion. Euanth. (Lips. 1883) p. 38 adn.; huius sententiam fusius explanemus oportet (cf. mus. Rhen. XXXVIII p. 324 sq.). Donatus (quem ait) codicem adhibuit familiae DG propinquum eo quod fabulae secundum litterarum ordinem digestae erant:

Andria Adelphoe Eunuchus Formio Heautontimorumenos Hecyra.

Hunc autem ordinem ad tempora fabularum referendum esse opinatus in didascalias ille intulit, quem ad errorem eo concitabatur quod Adelphoe inscripta erat Adelphoe Terenti, Eunuchus autem Terentii Eunuchus (cf. 7, 19. 10, 19 Reiff.). ipse enim de inscriptionibus fabularum in tractatu haec commentus est: *in plerisque fabulis priora ponebantur ipsarum nomina quam poetarum, in nonnullis poetarum quam fabularum. cuius moris diversitatem antiquitas probat. nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam poetae pronuntiaretur, ne aliqua invidia ab scribendo deterreri posset. cum autem per editionem multarum poetae iam esset auctoritas adquisita, rursus priora nomina poetarum proferebantur, ut per ipsorum vocabula fabulis attentio adquireretur.*[3] ergo Adelphoe antecedere debebat Eunucho. his rebus factum est ut Donato numeri didascalici iam non eo ordine decurrerent quo in librorum didascaliis Terentianorum:

I Andria II Eunuchus III Heautontimorumenos IV Phormio V Hecyra VI Adelphoe

sed ita commutato:

I Andria II Adelphoe III Eunuchus IV Formio.

Restant Heautontimorumenos Hecyra: expectes ut quinta illa, haec sexta numeretur secundum ordinem DG quem ille in didascalias

---

[3] hoc autoschediasma quoniam iure mirati sunt, conferas interim quae post vitam Aeschyli ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας feruntur: τῶν ποιημάτων ἃ μέν ἐστι . . ἀπαγγελτικά, ἃ δὲ δραματικὰ καὶ μιμητικά, ἃ δὲ ἐξ ἀμφοῖν, ἃ δὲ μόνον δραματικά· αὐτὰ γὰρ ἐνεργεῖ καὶ λέγει ἅμα τὰ πρόσωπα καὶ αὐτὰ τὸ κῦρος ἔχει. διὰ τοῦτο αἱ τῶν δραμάτων ἐπιγραφαὶ προγράφονται τοῦ ποιητοῦ· Νιόβη Αἰσχύλου. Ὁμήρου δὲ Ἰλιάς· μικταὶ γάρ εἰσιν αἱ ποιήσεις αὐτῶν.

intulit. at Donatus quintam retinuit Hecyram. quid Leo? maluit, ait, Donatus ab eo quem incohavit ordine recedere quam Hecyrae numerum mutare, quia indicium tale, quale in Adelphis ex inscriptione peti potuerat, in Hecyra mutationi succurrebat nullum. itaque post Formionem perrexit:

V Hecyra [VI Heautontimorumenos].

Hinc vero male claudicat sententia illa. nam idem Donatus ut ordinem DG efficeret, Eunuchum tertio loco substituere, Heautontimorumenon quae numerabatur tertia retrudere minime veritus est (ubi quid succurrebat indicii?): deinde cum Heautontimorumenos, ut ordo DG teneretur, quinto loco esset substituenda, Hecyra quae numerabatur quinta, retrudenda, esse veritum putamus, quamquam in didascaliis librorum Heautontimorumenos pluribus numeris Hecyram praecedebat quam Eunuchus Heautontimorumenon? utroque loco causa erat eadem: cur altero fecit quod altero facere ausus non est? maluit videlicet qua erat subito captus religione, Heautontimorumenon post Hecyram conlocatam nec cum litterarum ordine nec cum eo qui erat didascalico consentire.

Itaque etiam post Leonem in ordine fabularum Donateo aliquantum haeremus ac modo contigerit quaestionem probabilius expedire, illius explicationem reiciemus. at rectissime idem statuit quod Andriae Hecyrae Phormionis in praefationibus numeri cum libris Terentianis conspirant, Adelphorum et Eunuchi non conspirant, ipsum auctorem praefationum mutasse numeros didascalicos in his, servasse in illis. qua sententia comprobata decertatum simul erit contra Umpfenbachium (p. XL) et quem ille asseclam habet Bosseum quaestion. Terentian. p. 8 sqq. nec non qui Leoni refragatus est Dziatzkonem mus. Rhen. XXXIX p. 339 adn. et enim in Adelphis et Eunucho scholiasta didascalias mutandi licentiam sibi sumpsit, ut quae referret cum tractatu conciliaret; in utraque didascalia caput ipsum VI quod numerum fabulae exhibet, et quod antecedit V illius ferunt vestigia, nam sextum in utraque caret consulibus: in Andria autem Hecyra Phormione nil tale; iam quod numeri illarum in utraque a libris Terentianis dissentiunt, in ceteris consentiunt: numeros ipsos concludimus in illis deberi eidem retractatori, dummodo causa mutandi repeti possit e tractatu. atque causam ipse indicat: Adelphoe inscripta erat Adelphoe Terenti, Eunuchus vero Terentii Eunuchus, ergo illa huic praeponenda conlatis iis quae p. 328 e tractatu excerpsimus.

Iam qui Adelphos ante Eunuchum inserendam putabat, ei talis ordo fabularum erat novandus:

I Andria II Adelphoe III Eunuchus [IV Heautontimorumenos] V Phormio VI Hecyra;

qui ordo in praefationibus usque ad Eunuchum recte procedit, deinde non continuatur, sed Phormio et Hecyra quartum et quintum locum retinuere quos tenent in librorum Terentianorum didascaliis.

Itaque repetimus quaestionem quare per Adelphos et Eunu-

chum — Andria autem utique prima erat — novus ordo a scholiasta ducatur, deinde idem desinat ita ut Phormio et Hecyra traditos obtineant locos; repetimus quaestionem alteram quare Adelphorum et Eunuchi praefationes proprio modo tractatae sint, proprio Andriae Hecyrae Phormionis ita ut eandem omnium imaginem duplici ratione depictam videre videamur: in utraque quaestione ex altera parte sunt Adelphorum et Eunuchi, ex altera (Andriae) Hecyrae Phormionis praefationes. omne feret punctum ea solutio qua utramque solvemus una. en illam.

Commentarium Terentii unum a duobus scimus olim expilatum esse interpretibus, haec autem duumvirum excerpta gemella in scholiis Donateis congregata haberi. ita duplici recensione ille commentarius ad nos pervenit. cuius duplicationis exempla in cap. I compluria iam proposuimus occasione data: adponimus nunc unum schol. Andr. II 6, 26 *quidnam hoc est rei: verba sunt secum cogitantis senis aut de his quae nunc locutus est Davus aut de adventu mulierum quae in scenam veniant.* *quidnam hoc est rei: pulsatus est senex argumento falsarum nuptiarum* '*paululum obsoni*' (II 2, 23), *tamquam se inluderet Davus.* ‖ *quid hic vult veterator sibi: veterator est vetus in astutia et qui in una re callidus est. et hi duo versus ostendunt pulsatum esse senem ex argumento falsarum nuptiarum, illo argumento quod ait:* '*paululum obsonii*', *tamquam se inluderet Davus. sunt ergo verba, ut diximus, secum cogitantis senis aut de his quae nunc locutus est Davus aut de adventu mulierum quae in scenam veniunt modo.* hic igitur ut ad verbum descripta bis est adnotatio eadem, ita alias: saepe tamen liberius retractata et ab utroque excerptore proprio ornatu reficta est. per totum autem scholiorum corpus observatur illa duplicitas. neque tractatus duplex qui praemittitur de fabula diversus est, sed is quoque duplex unius commentationis habenda recensio. quod non est cur demonstremus: unum hoc monemus non solum Horatii a. p. vv. 281 sqq. et in priore (p. 5, 6) et in altero tractatu in usum vocatos esse, sed etiam Vergilii georg. II vv. 380 sqq. in priore (p. 3, 5) adhibitos perlucere in verbis alterius (p. 8, 20—23): *in vicos et compita* — ***laeti alacresque*** — *in pratis* ***mollibus*** — *nec deerant praemia* — *ingenia,* ne quis forte post Teuberum (de auctorit. comment. in Terentium p. 6) et Leonem (mus. Rhen. XXXVIII p. 328) rursus in his offendat. restant praefationes comoediarum, forma omnes et indole eadem, sed ut eadem ita duplici modo tractata, alio in duabus alio in tribus.

Quae cum ita sint, quaestiones quas proposuimus eas ita expedimus, ut etiam praefationes quae olim fuere ab uno una ratione confectae, a duumviris descriptas omnes et diverse vindicatas esse statuamus: deinde compilator cui duumvirum commenta congreganda erant, munere illo ita functus est, ut non uniuscuiusque praefationis duplicem e duobus commentis conflaret recensionem, sed ex altero praefationes delibaret Andriae Hecyrae Phormionis, ex altero

Adelphorum et Eunuchi; de Heautontimorumeno nescimus. in altero numeri didascalici conservati fuerunt qui in libris extabant et extant: I Andria (II Eunuchus III Heautontimorumenôs) IV Phormio V Hecyra (VI Adelphoe); in altero ex Adelphorum promotione ita decurrerunt: (I Andria) II Adelphoe III Eunuchus (IV Heautontimorumenos V Phormio VI Hecyra).

Explicavimus, non demonstravimus. tamen explicatio ista haud scio an rei apta sit unice. addendum autem unum est. quo ordine numeros didascalicos in altera recensione processisse conieci, eo quarta fuit Heautontimorumenos. ac fuit olim in didascaliis ordo fabularum quo illa quarta numeraretur. hoc enim testatur Victorianus ubi in didascalia Heautontimorumeni haec sunt: FACTA. IVM. IVNIO i. e. facta IV M. Iunio, cf. mus. Rhen. XXXIX p. 343. quod vero Dziatzko dubitanter suspicatus est ad commenta Donatea hunc numerum pertinere quamquam id demonstrare nequeo, tamen ipsam rem silentio praetermittere nolui.

Sed quia Leo cum in numeros didascalicos inquireret eam quaestionem movit, quo ordine Donatus singularum commenta fabularum digessisset, eamque etiam Dziatzko tetigit edit. Phormion.[2] p. 13 adn. 2, breviter conferam quae prompta sunt testimonia: nam post Sabbadinium hac de re paulo rectius iudicare licet. cum omnes libri Donatei ad compilationem duorum commentariorum unam redeant, ex iis nihil elicimus nisi qui fuerit ordo commentorum in illa compilatione. atque is quidem constat vel paene constat. et enim compilator cum per quattuor fabulas id egisset sedulo ut duos commentarios in unum concinnaret et contaminaret, in Phormionis II 3 abiecta subito industria integros proposuit, primum alterum a v. 7 (nam huc usque contaminati sunt) ad v. 93, deinde alterum a v. 5 ad v. 93; dehinc autem quae sequuntur scholia usque ad finem fabulae, ea ita comparata sunt, ut unum commentarium adhiberi intellegas. quare certum est quod Sabbadinius iecit (studd. Ital. II p. 15), Wessnerus dum eius agit censuram abiecit (period. phil. Berolin. 1895 p. 427), Phormionis commentum fuisse ultimum, ad quod cum pervenisset compilator fastidio concepto destituerit quam usque dederat operam. duplex igitur datur fabularum ordo, ad quem illum se adplicasse q u o q u e c o m m e n t a e d e n d a n o b i s e s s e statuamus: Andria Eunuchus [Heautontimorumenos] Adelphoe Hecyra Phormio, qui est librorum Terentii PC, aut: Andria Adelphoe Eunuchus [Heautontimorumenos] Hecyra Phormio, qui secundum litteras digestus ita in libris Terentianis non extat. iam libri Donatei ipsi partim huic partim illi suffragantur: huic unus sed antiquissimus Parisinus 7920 saec. XI in quo commentum Adelphorum excipit Andriam, cetera autem desunt; illi Vaticanus Reginensis 1595 saec. XIII in quo commentum Andriae subsequitur Eunuchus cetera praeter Hecyrae III 4, 16—V 2, 8 desiderantur, et novicii saec. XV uno ore omnes. cum his fecit ni fallor codex is quem Laurentii Vallae amicus Carnoti in bibliotheca ecclesiae

maioris vidit et Aurispa describendum curavit; quo de Valla ad Ioannem Arretinum scribit: *nam hic amicus meus apud Carnotum vidit hunc auctorem* (Donatum) *sed sine tertia comoedia Ἑαυτοντιμωρουμένῳ et non integra quinta Ἑκυρᾷ itemque cum defectu in sexta quae dicitur Φορμίων*, cf. mus. Ital. antiqu. class. III p. 387 et ibid. epp. V et VI. antiquissimum vero testimonium ordinis PC per illam recensionem scholiorum ducti nescio an ex vita Terentii Ambrosiana promi possit. commentum Heautontimorumeni interiit: interiisse autem in illa demum recensione statuendum videtur, sive a compilatore ipso omissum est sive post illum excidit. nam cum duo ab illo commentarii expilati sint, quis sibi persuaserit in utroque pariter Heautontimorumeni scholia nulla fuisse praesertim varie a variis deinceps interpretibus retractato et aucto? ac docent scholia Bembini extitisse saeculo VII vel VIII doctum huius fabulae commentarium. atqui in vita Ambrosiana quae e commentis Donateis decerpta tota est (cf. Ritschelius p. 534 Sueton. Reiff. et post illum Sabbadinius studd. Ital. II p. 26), fabulae ita enumerantur: *fabulae eius extant quattuor ex Menandro translatae, Andria Eunuchus Adelphoe et Heautontimorumenos; duae ex Apollodoro Carystio, Hecyra et Phormio.* quae et ipsa a Donato petita sunt in auctario vitae Suetonianae haec narrante (p. 35 Reiff.): *duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra, quattuor reliquae a Menandro*, cf. quae sequuntur et p. 29, 9 cum Ambrosianis. Menandrearum igitur nomina excerptor ipse addidit. inter quas quod Adelphos enumeravit ante Heautontimorumenon ac non post illam sicut debuit si librum Terentii sequebatur, id videris num casu factum sit. immo qui ex Donati commentis totus pendet et hoc ipso loco illa ante oculos habuit grammaticus fabularum ordinem quoque e suo exemplo commentorum videtur repetivisse, in quo commenta sic se excipiebant: Andria Eunuchus Adelphoe Hecyra Phormio, deinde cum Menandrearum numerum plenum non esse animadvertisset, superaddidisse quartam quae in commentis deerat Heautontimorumenon. hoc si iure suspicamur, contra Parisinum 7920 testis saec. IX non recentior stat cum ceteris: quem terminum antiquitati vitae Ambrosianae adscribendum esse demonstrabo. eundem denique ordinem frustula Donatea Victoriani D saec. X vel IX testantur, ut acute observavit Sabbadinius studd. Ital. II p. 25: sed eadem si iam extitere in eo libro de quo Victorianus descriptus est — quod certo diiudicare nequeo —, forsitan ascendunt supra aetatem illius compilationis in qua qui fuerit ordo commentorum explorandus est, ut non in illa, sed ante illam qui fuerit inde evincatur.

Donatum autem virum clarissimum valere iussi, ne totam rem male conturbarem. videntur enim homines docti — Teuberum dico, Scheidemantelium, Sabbadinium, Leonem quem honoris causa nomino virum acerrimum — eo peccasse quod Donati esse sumpsere quae Donati esse demonstranda erant. unde profecti eo pervenerunt ut

alter alteri adfirmaret contrarium eodem iure aut si placet eadem iniuria. immo priusquam nomina captemus, indoles et natura eius quod ad nos perlatum est scholiorum corporis exploranda est: tum demum Donatistae suam licebit instaurent quaestionem multo doctius quam equidem possum. veluti de praefationibus quae disputavi si non falsa sunt, ipsi viderint quid inde ad illam quaestionem redundet. interim quoniam alium ab alio spectavi iugulatum, Cadmi exemplum sequi satius videbatur.

Fridericus Leo ex praefationibus Donateis conclusit Donatum commenta sua ad codicem familiae DG adplicasse, unde ei efficitur Calliopium, a cuius recensione libri DG testantur se deductos esse, ante Donatum floruisse ipsum, eius autem recensionem exhiberi genuinam in illis, non in familia PC, cf. mus. Rhen. XXXVIII p. 325, Dziatzko ed. Phormion.² p. 20 adn. 5, Schleeus scholl. Terent. p. 8. cui conclusioni quod vir doctus fundamentum supposuit potius quam substruxit, Donateam dico auctoritatem praefationum et ordinem fabularum didascalicum, id iam eversum est opinor: age dum aliunde illam sententiam refutemus ita ut aliquid addiscamus. circumscribuntur enim in praefationibus actus fabularum non ita ut finis vel initium breviter uniuscuiusque significetur (id quod sufficiebat), sed scholiasta quae quoque contineantur singula maluit enarrare: velut Eunuchi *in primo actu Phaedria exclusus a Thaide et secum primo et mox cum Parmenone conqueritur fortunas suas et ad postremum coram accusat Thaidem. rursus permulcetur ab eadem et voluntate digrediens rus sese concessurum in spatium bidui esse promittit.* hic igitur argumentum actus primi narratur simpliciter. tamen cave ita narratum semper esse existimes: immo in ceteris certa quaedam ratio et distributio ab enarrante instituta dignoscitur. ita Andriae tertio actui adtribuuntur: *Mysidis cum obstetrice colloquium Davo ac Simone audientibus* | *partus Glycerii suspectus seni et Davi apud eundem fraudulenta sermocinatio* | *Simonis verba cum Chremete de nuptiis* | *Davi perturbatio et Pamphili*; Adelphorum secundus actus haec continet: *lenonis alteram rixam adversus Aeschinum pro puella* | *eiusdem apud Syrum querellas* | *laetitiam Ctesiphonis ob possessionem amicae et eiusdem gratiarum actionem apud Aeschinum*; Phormionis tertio actui adtribuitur: *litigium senis et Phormionis* | *tum consultatio cum advocatis* | *tum Antiphonis in scenam reditus colloquiumque cum Geta* | *tum lenonis et Phaedriae colluctatio* | *tum adhortatio Getae de inveniendo argento ad redimendam Phaedriae citharistriam.* apparet singula quae distinxi cola esse singulas scaenas quas per actus scholiasta enumerat. hoc non solum inde plene comprobatur, quod caesurae asyndeto significatae cum scaenarum distributione prorsus consentiunt quae et in Bembino et in Calliopianis est, modo ea exceperis de quibus infra disputabo: sed ita demum intellegimus quamobrem interpres enarrare actus quam circumscribere maluerit nec non cur Andriae in actu quarto haec commemoret: *prima Charini*

verba sunt indignantis velut fidem sibi non servatam a Pamphilo (1, 1—17 Umpf.) | *tum Mysidis verba apud Pamphilum*, Eunuchi in actu secundo: *tum parasitum loquentem per quem virgo a milite dono amicae missa est* (2, 1—39) | *tum interventum Chaereae*, Hecyrae in actu tertio: *Sostratae verba super aegritudine nurus quam morbo credit afflictam* (2, 1—4) | *fletus Pamphili errantis*: scaenas enim percurrens satis habuisse videtur singularum initia strictim tangere.

Itaque in praefationibus non solum actuum sed etiam scaenarum distributionem satis antiquam servatam esse gaudemus. quo in gaudio id minus laete evenit quod aliquam libertatem sibi sumpsit sive qui has tabulas confecit ipse sive qui illas in usum adhibuerunt et compilaverunt. nam utique concedendum est omissas esse scaenas nonnullas: Andriae in exitu actus primi vel initio secundi Mysidis solius verba et eiusdem cum Pamphilo sermonem (I 4 et 5 Umpf.), in fine actus quarti Critonis interventum (5); Phormionis actu primo exeunte aut secundo ineunte Antiphonis et Phaedriae inter se et cum Geta sermocinationem, in actu tertio parasiti et Getae conloquium quod cum sequente litigio unam effecisse scaenam nemo crediderit (I 3 et 4 — II 2 Umpf.); vel plures scaenas uno membro enumerationis esse comprehensas a festinante interprete maxime in exitu fabularum, v. Eunuchum et Phormionem, sed etiam alias fortasse: Andriae in actu tertio *Davi perturbatio* | *et Pamphili*. quare ut distributio qualis fuerit in libro a scholiasta adhibito cognoscatur, id genus omnia procul habenda esse censemus, cf. cum praefationibus Eun. III 4— Umpf. Hecyr. I 1—2. IV 2—3. V 1—2. Phorm. I 1—2. ordo denique a scholiasta turbatus est in fine Adelphorum (p. 9, 10 Reiff.) ubi Geta antecedere debuit Aeschinum, et Hecyrae actu quinto (p. 13, 22). tamen haec leviora sunt: gravem submittit dubitationem aliud. et enim cum plerumque scaenae singulae per cola ἀσυνδέτως pernumerentur sicut in eis quae descripsi exemplis, triginta fere locis coniunctiones 'et' 'que' 'atque' interiectae sunt, velut Adelphorum ut uno exemplo defungar actui tertio interpres adtribuit *reditum in scenam Demeae* | *eiusdemque cum Syro ludificante eum sermocinationem*. in Bembino haec una est scaena (III 3), in Calliopianis duae, cum Bembino facit scholiasta ad III 3, 1 qui scaenam praefatiuncula ut solet morali complectitur: *hic ostenditur quod severi homines ac recti et honesti tenaces vel ridiculi sunt vel odio habeantur quoquo accesserint*. ab utra parte noster stat? quem scilicet eundem fuisse ac scholiastam ad III 3, 1 nequit demonstrari. duas illum distinxisse scaenas iudicaveris, quoniam sententiam voluit esse bipertitam: et possunt ceteri loci ad hanc rationem adaptari plerique. at semel certe de duabus cogitari scaenis omnino nequit: Phormionis *quartum actum ista concelebrant*, *adventus Chremetis* ***eiusdemque*** *cum fratre deliberatio per errorem de eicienda Phanio*. quamobrem de his in neutram partem iudicamus.

Talibus autem remotis omnibus quae restant certa ea sufficiunt

ad diiudicandum quali fere libro scholiasta suam scaenarum distributionem debeat. quae iam sub uno conspectu propono, ut simul appareat quam diversus ille liber fuerit a familia DG.

Scholiasta scaenas disponit

contra consensum Bembini et Calliopii:

Hecyrae *tertio actui haec ascribuntur: conquestio Pamphili peregre redeuntis de amore suo circa uxorem* ‖ *partitudo Philumenae* | *Sostratae verba super aegritudine nurus.*

ante III 1, 38 Umpf. nova scaena incidit. item in scholiis Donateis codices ante lemma *tace obsecro mea gnata* (38) novae scaenae initium exhibent. — Bemb. et Call. non incidunt

contra Calliopium Bembino deficiente:

Andriae *secundi actus haec sunt: Charini verba primo cum Byrria servo et post cum ipso Pamphilo de nuptiis Philumenae* (1) | *Davi interventus* (2) ‖ *cum eo disputatio de nuptiis* (3) | *Pamphili sermo cum patre* (5)

quarta scaena aut praetermissa est aut cum quinta fuit coniuncta, ut videtur coniunxisse schol. ad II 4, 1. scaenae 2 et 3 disiunctae sunt, item a schol. ad 2, 1 et 3, 1. — Calliopius 2 et 3 coniunxit.

pergitur: ‖ *Byrriae verba* | *Davi callida oratio adversus senem* (6).

Byrriae verba (II 5, 14 — 20) peculiarem scaenam efficiunt, quia Pamphilus ante ea ingressus est, post ea ingreditur Byrria ipse. — aliter Calliopius

cum Calliopio contra Bembinum:

Phormionis *tertio actui attribuitur: litigium senis et Phormionis* ‖ *tum consultatio cum advocatis*

duae scaenae ut Call. Eugraphius, una in Bembino.

Agmen claudunt duo loci quos miramur. Eunuchi enim *tertius actus characterem exprimit militis et parasiti per ridiculum colloquium* | *tum invitationem ad cenam Thaidis* ‖ *tum oblationem velut eunuchi Chaereae et puellae ex Aethiopia per Parmenonem factam* (cf. studd. Ital. III p. 255); Phormionis *quartum actum ista concelebrant: adventus Chremetis* — (1) | *Getae verba de fallendis senibus* (2) | *Antiphonis oratio apud semet ipsum de amore tractantis* ‖ *Getae rursus cum senibus callida — disputatio* (3). unde si modo ratio in enumerando scholiastae constat, Eunuchi a III 2 v. 8 Umpf., Phormionis a IV 3 v. 4 novam illi scaenam coepisse concludas. nec vereor hoc statuere quamvis libris Terentianis dissentientibus. nam duobus locis id commune est quod persona quae a ceteris neque audita neque visa in posteriore parte proscaenii secum locuta est, prodiens in conloquium illorum sese insinuat: *adibo atque adsimulabo quasi nunc exeam* inquit Parmeno, *adibo hosce* Geta. quae res haud scio an causa fuerit incidendi et novam scaenam constituendi. itaque ne hic qui-

dem scholiastam negaverim diversam a codicibus Terentianis secutum esse distributionem scaenarum.

Restat autem ut de duobus locis moneam: ita erunt iam perlustrati qui ad hanc quaestionem faciant omnes. Eunuchi in praefatione sic distinguendum est: *verba petulantia Thaidis adversum militem* (IV 6, 1 sqq.), *et militis adversum Thaidem parata proelia ridiculeque deposita* (IV 7); Adelphorum in tertii actus enarratione sic scribendum: *Hegionis interventum et querellam apud eundem Demeam de facto Aeschini* (4) *et consolationem Sostratae* (5).

Praefationes lemmatis instructae sunt: praepositus est primus versus prologi in Andria Hecyra Phormione, primi actus in Adelphis. ergo post scholia prologi praefatio Adelphorum olim legebatur, non sicut ceterae ante illa. quod factum est ex more quodam pervulgato (quem Umpfenbachius p. LXXIX neglexit) ac propterea memorabili, quia quid de prologorum ratione senserit aevum posterius inde cognoscitur. nimirum ab ipso corpore fabulae prologus adeo videbatur separandus esse, ut non modo argumenta illum inter et fabulam insererent sed etiam didascalias: quid quod fuere qui non a Terentio sed a Calliopio compositos esse autumarent prologos. contra quos scholiasta Halensis ad Prisciani auctoritatem provocavit: cf. Terentii comoediae ed. Bruns p. 7. itaque periocha Sulpicii Apollinaris in Riccardiano Terentii excipit prologum Heautontimorumeni (Umpf. p. XXXII), in Andria argumentum legit post prologum is qui Donati Lincolniensem Oxoniensem scripsit vel qui adnotationem a Dziatzkone in Fleck. ann. suppl. X p. 663 adn. 4 excerptam scholiis addidit, nam in Laurentianis 53, 8 et 9 extat eadem cf. Wessnerus in mus. Rhen. LII p. 88—91. deinde futilem huius rei quidam invenit rationem quam in 'expositione super Terentium' (apud Schleeum scholl. Terent. p. 165, 29 sqq.) ipse legas, quia describere tantas ineptias me taedet: *et haec est ratio* inquit *quare post prologos argumenta sint scribenda et legenda*, cf. p. 168, 4. adnotato igitur prologo Andriae sequitur p. 171 non modo argumentum prosaicum, sed etiam horridum de actibus fabulae deliramentum, excerptum hoc (id quod Sabbadinii causa moneo, cf. studd. Ital. II p. 37 sq.) ex Donatea praefatione p. 3, 4 sq. Reiff. didascaliae vero sequuntur prologos in libris Terentii DG: atque in codice Halensi Brunsii cum Eunuchi titulus inter prologum et ipsam fabulam interpositus sit, scholiasta suam praefationem comoediae, qua loquaciter titulum explicat et argumentum narrat, eundem locum obtinere voluit. huic igitur simillime egit qui Donateam praefationem Adelphorum initio primae in fabula scaenae interseruit. neque omnino alienum est quod in Basilicano Eugraphii commenta in prologos a suis fabulis plane dirempta et omnia coacta sunt initio totius commentarii subscriptis post prologum Phormionis verbis hisce: *expliciunt explanationes prologorum. incipit commentum Eografii in Andria*, cf. Umpf. p. XXVIII.

IV

SCHOLIA in Terentium ANONYMA a Schleeo edita Woelfflinus ad Pompeium Donati commentatorem pertinere coniecit in archivo suo a. 1893 p. 420, quia praescripta dispiciuntur illis in G: COMMENTARII OOPEIVS. poterat vir doctus advocare eundem Pompeium suam Terentii tractandi operam testantem ipsum: *adhibe aliquam excusationem, primum, participium sine verbi origine fecisse, ideo fecisse quoniam habemus usurpandorum participiorum licentiam ut diximus et in Terentio [loquendus participium est sine verbi origine]* V p. 229, 7 K. cf. Donat. in Hecyr. prol. II 13 (*placitae*) *nota participium sine verbo*, idem ad IV 4, 22. neque tamen hoc adfero quo Woelfflino adsentiar: immo talium notarum in commentario anonymo nec vola nec vestigium apparet. at contra quod idem christianismi vestigia ibidem observavit singulis vocibus conlatis (p. 414), succurro ei exemplo adposito luculentissimo. Andriae I 1, 66 sq. Simo castitatem filii praedicat: 'nam qui cum ingeniis conflictatur eius modi neque commovetur animus in ea re tamen', ad quae scholiasta: *qui ignem in sinu portat et non comburitur.* meminerat videlicet miraculi quo in legendis Sanctorum pudicitia virorum et virginum Dei saepissime temptatur et adprobatur.

Praemissum fuit huic commentario D(G E C M) exordium cum vita poetae, quod in omnibus libris interiit. ipse autem commentator illud respicit ad Eunuchi didascaliam: *quod Menander primum composuerat fabulam Eunuchi in Graeco sermone, deinde vero Terentius in Latino sermone*, i a m d i c t u m e s t *et quod eius recitator fuit Calliopius. at vero modulator eius comoediae fuit Flaccus optimus tibicen* (p. 94 Schl.). haec igitur desiderabantur a Schleeo p. 42 sq. et Dziatzkone in actis litter. Berol. 1894 p. 432. at tamen prostant et iam a. MDCCXXVI impressa sunt. et enim Westerhovius suae editionis tom. I p. XXXII vitam Terentii anonymam a Gronovio ex Oxoniensi descriptam exhibet, melius eadem proposita est a Brunsio e codice Halensi una cum ipsis fabulis et scholiis Halensibus. quae scholia qui perlustraverit, non modo artissimam necessitudinem inter ea et commentarium D intercedere mirabitur, sed etiam quae supra ex hoc repetivi ea ipsa eodem loco in Halensi inveniet p. 154 Bruns: *quod Menander primum composuit fabulam Andriae Graeco sermone, deinde vero Terentius Latino, iam dictum est et quod eius recitator fuerit Calliopius. at vero modulator eius comoediae fuit Flaccus optimus tibicen.* iam adi vitam quae Terentio Halensi praefixa est: legis in illa (p. 4) quae iam dicta esse scholiastae ad Eunuchum testantur de Andriis de Calliopio, sequitur Flaccus modulator. ergo hanc vitam commentario D fuisse praepositam statuimus, quod vero a scholiasta D *fabula Eunuchi* commemoratur (p. 94 Schl.) pro *fabula Andriae* scholii Halensis, factum id esse interpolatione eius qui de Eunuchi agi didascalia incommode animadverteret et modo legisset, quae in D quidem perierunt, in scholio

Halensi (p. 154) proxime praecedunt: *secunda fabula Eunuchi*, *illa videlicet quam Terentius post Menandrum Latino sermone composuit.* nam e prolixa didascaliae explanatione, qualis in Halensi servata est, etiam libri D frustula excerpta esse librarius ipse testatur post Flaccum tibicinem adiunctis his: *Claudi tibiis duabus dextris*] *quasi tympanum*, *genus musicum*, *dictum eo quod unam alteri breviorem habeat fistulam ad similitudinem claudi Graomarcio 'dextris' dicit eo* eqs., ubi praenomina consulum 'Gaio' 'Marco' falso loco praeoccupata non delemus sed discimus de consulibus subinde post tibias expositum olim fuisse in scholiis D item ut in Halensibus (p. 154). quod autem vitam Halensem ad commentarium D pertinere dixi, id aliis indiciis comprobatur. scholium enim DMC ad Andr. v. 1 est: *cum dicit 'poeta', ostendit se metrica arte hoc opus composuisse. illud etiam Priscianus testatur qui scribit de metris Terentianis. scripsit autem Terentius iambico metro cuius species multae sunt.* habes eadem fuse exposita in vita Halensi p. 3 sq. accedit alterum. in prima pagina libri G scholia antiqua evanuerunt ac recentes illis notulae superscriptae sunt, cf. Schleeus p. 42: exordium quod ita periit antiquum fuit, si nobis credis, vita Halensis. in media autem pagina recenti manu scripta leguntur: *Calliopius recitator Lanuvius emulus.* unde haec horum concors compositio? enim vero in vita Halensi insunt: *sed cum coepissent eius fabulae recitari*, *longe aliter visum est quam speraret*, *quoniam multos aemulos per hoc contra se excitavit qui eius dicta reprehendebant* (p. 3). haec in G librarius recentior legit nunc evanida et nomina adscripsit.

Quae cum ita sint vita Halensis, quae commentario DGECM praemissa fuit, codice D certe antiquior est, is autem saec. X vel IX adtribuitur. confectam igitur illam esse post saec. IX confidenter negamus. iam antiquitatem vitae Terentii Ambrosianae ex Donato delibatae quam Ritschelius quartum inter et undecimum saec. scriptam, 'sed illi nisi fallor quam huic propiorem' esse iudicavit in Suetonio Reifferscheidii p. 534 (= opp. III p. 274), paulo artioribus finibus licet circumscribere. quae quin antiquior sit illa Halensi, nemo erit qui dubitet. nam ut libera est ab horridulis in illa hariolationibus quibus posteri deinceps varie adornatis nimium quantum delectabantur (cf. Sabb. studd. II p. 27 Schleeus p. 163), ita figmenta quibus ipsa non caret, bona sunt ac minime inepta. quamobrem in Ritschelii iudicio pro XI ponas IX.

APPENDICULA.

Notarum criticarum quas ab Alexandrinis inventas in usum receperunt Romani grammatici, paucissimas in scriptoribus profanis Romanorum restare reliquias conclamatum est. ad Vergilium enim Servius servavit Probianas notas duas (Aen. X 444 I 21), e Vaticanis schedis et libro Mediceo, si quid antiquitatis in his inest signa conlegit Ribbeckius proll. p. 153. 155. 158 sqq. Horatio et Servio quae

in codice Bernensi 363 saec. IX adpicta sunt, ea Hagenus inlustravit in actis concil. phil. Turicensis p. 247 sqq.: ista autem et quae ad Lucanum spectantia tetigit Weberus in dissertatione de spuriis Lucani verss. (edit. tom. II p. 436 sq.), etiam minus huc facere videntur. quamquam minime equidem talia sperno: immo si quando omnia quotquot in manuscriptis libris et Latinis et Graecis, profanis nec non sacris extant signa sive antiqua et vere critica sive recentiora et quae librarii adhibere solent quaeque cum antiquis cohaerere consentaneum est, conlecta comparata inlustrata erunt, optimos fructus redundaturos esse spero. pergo ad Lucretium cuius in codice Victoriano paucas notas animadvertit Bergkius: occurrit Sauppius illasque adtribuit Marullo. iam e Donato unum promo indicium notationis in Terentium criticae, quod a Sabbadinio omissum cum in editione Lindenbrogii Parisina a. MDCII delitescat, ab iis qui de his rebus verba fecere nesciri omnino videtur. adnotata sunt ad Phorm. II 3, 24 (p. 469) *quam is aspernatur: ordo est 'ob hanc quam hic aspernatur'.* ἀπόδοσις χὶ *'quam' enim supra revocavit ad puellam referens*, cf. Sabb. studd. Ital. II p. 121. in manuscriptis χὶ non legitur. quod non movet me, nam omnes sunt novicii, de subsidiis vero Lindenbrogii audi Dziatzkonem mus. Rhen. XXIX p. 449 sqq. 455 sqq. deinde quod ad formam illius scholii adtinet non ignoro constanti fere usu probatas fuisse formulas has: τὸ χῖ ὅτι, τὸ χῖ πρὸς τὸ vel praecedente explicatione διὸ τὸ χῖ, insolenti igitur scholiastam Terentii uti et brevitate et conlocatione. nec vero brevitatis desunt exempla velut in schol. Aristoph. Thesmoph. v. 74 τὸ σημεῖον. οὐ μόνον κηδεστὴς ὁ ἐκδιδοὺς ἀλλὰ καὶ ὁ λαμβάνων et Aristonici Π 261, neque conlocationis inversae velut in schol. Aristonici Β 188 πρὸς τὴν τάξιν τῶν ἑξῆς τὸ ἀντίσιγμα. quae rara quidem sunt nec prorsus ad nostri similitudinem accedunt, aliquam tamen fuisse licentiam ostendunt. atqui in altera Lindenbrogii editione quae prodiit Francofurti MDCXXIII, illud χὶ frustra quaesiveris (p. 468). quod si quis doctorem Leidensem primo aut docte lusisse aut felici errore doctum quid in manuscriptis suis somniasse, deinde perfidiae aut erroris paenituisse sibi persuaserit, abiciat τὸ χῖ: sin haec improbabilia iudicaverit, accuset operarum neglegentiam quam in Graecis editionis alterius plus semel aegre ferimus, teneatque pretiosissimum testimonium Terentii olim κεχιασμένου sicut fuere Alcman et Pindarus, tragici Graeci et Aristophanes, Plato denique teste Laertio Diogene 3, 39: cf. laterculum Reifferscheidii mus. Rhen. XXIII p. 131.

Codices Donateos curiose me perscrutatum esse ultro cogitaveris: inveni nil. nam quod scholia a coniunctione *quia* (ὅτι) solent incipere, factum est e sollemni grammaticorum Romanorum consuetudine, quae a Graecis originem duxit ἰστέον vel σημείωσαι initio scholii omittentibus.

Alteram notam quae Parisini A saec. XI propria est depingendam curavit Dziatzko mus. Rhen. XXIX p. 447, est autem haec ϡ et ϡϡ.

qua vir accuratissimus in lemmatis id verbum signari fere ait, quod scholio explanetur ipsum. at hoc parum accurate narravit. superpositum est signum illud semper fere primae voci lemmatis aut ita ⁊⁊*ibi* aut ita *egone*, interdum inter primam et alteram velut *ego* ⁊⁊*illud*, raro superscriptum est ipsi voci alteri, quater tertiae, ter quartae, semel quintae, semel denique undecimae (?) ad Andr. I 1, 69 *cum idem p. t. u. o. o. b. d. et laudare f. m.*: ἐμφατικώτερον '*fortunas*' *quam fortunam*. haec autem ita comparata sunt ut non pauca cum observatione Dziatzkonis conveniant: multa refragantur ita ut prima vox lemmatis vel altera vel tertia vel denique quarta signata sit, scholium ipsum pertineat ad aliam, velut in primo actu Andriae numeravi sexaginta exempla quae viro docto favere videantur, undeseptuaginta quibus refutetur. quid igitur haec nota sibi vult? et enim saepissime talibus locis adpicta est: *adhuc archilis quae ad. s. q. q. o.*] *specta in hac scaena quam scite expressa sit consuetudo medici*, ubi ad unam et certam voculam lemmatis scholium revocari nequeat, nec non talibus: *idoneus*] *aptus et huic rei natus*, ubi quid opus est unicae voci scholium etiam signo adsignari? iam adponam exempla:

Andr. I 1, 58 *et bene* '*illi*' *quasi dicat* '*quam tu Andriam nominasti*'. I 1, 69 *et ideo mox ait* '*bene dissimulatum a. e. o. c. i.*' (v. 105). I 3, 6 *primum de amore hoc comperit: primo, inquit, iam infensus est senex, deinde* '*gravida e Pamphilo est*' *Glycerium* (v. 11). I 5, 7 *id mutavit: nove dixit* '*id*', *τὸ id enim ad* '*denegarat commissurum mihi gnatam uxorem*' (v. 6). II 2, 1 *sic alibi* '*ne quid Andria a. m.*' (I 1, 46). I.5, 59 *ut Vergilius* '*fuit aut tibi quicquam dulce m.*' (Aen. IV 317).

Sed satis. ergo nota ⁊⁊ (⁊) poetarum verba a verbis scholiastae segregantur: atque hoc in lemmata praecipue cadere consentaneum est. ita autem μιῇ ὁδῷ ut aiunt et vis huius notae explicata est et origo. agnoscimus enim diplen⟩ quam *scriptores nostri adponunt in libris ecclesiasticorum virorum ad separanda vel ad demonstranda testimonia scripturarum sacrarum* (Isidor. I 20): unde anserum quos vocamus pediculi nati aut simplices aut duplices passim in libris manuscriptis occurrunt: cf. Maurinorum tom. III p. 486, Prou manual. palaeogr. p. 151 ubi formas habes nostrae simillimas. in Parisino autem Donati modo simplex ⁊ modo duplex ⁊⁊ in eodem adhibetur neque ullum dispicitur discrimen nisi quod illa forma, antiqua scilicet, multo iam est rarior quam duplex, quae ex illa accrevit non aliter ac ductus simplex quo ad proximam lineam verba continuabantur (-), deinde duplicatus est, cf. Maurin. tom. III p. 485. unum quidem novum videtur quod notae non adpositae sed superpositae sunt.

Restat ut pauca addam. duobus locis non ipsa verba poetae sed quae liberius circumscripta sunt, notam ferunt: Andr. I 1, 31 *haec, inquit, ut cetera similiter studebat* et III 4, 20 *accipiamus. an 'ego idem', an pro 'item'*; uno loco, ubi lemma deest, primum scholii verbum notatur ad V 3, 14 (*accidit:*) *evenit fuit.* repetitur nota non sine causa ad I 2, 1 *Simo non dubium est quin u. n. f.*, nam *Simo* est praescriptio scaenae; III 3, 38 *'principio' nec intulit 'secundo', 'restitueris' 'invenies'* (v. 39). *ergo anacoluthon duplex*; III 4, 1 *ad te ibam. — quidnam id est? — cur uxor.* causa repetendi dignoscitur nulla ad I 1, 141 *has bene ut a. n. p. t. f. d.* et IV 5, 9 *nosne sic ut quimus a.*, hic quidem errore ni fallor librarii, qui subinde (l. 26 Kl.) *sic* legit. nam errores saepius hac in re observamus. quod denique nota voci modo primae modo ceteris usque ad quintam imposita est, libidini adtribuemus librarii: rationem certe non potui perspicere.

'librarii', dixi. at enim rectissime Dziatzko in eo libro de quo Parisinus descriptus est notas iam extitisse statuit. quod multis locis manifestum est. altius quantum vidi nequimus ascendere, ut scilicet ante ipsum omnium codicum archetypon hanc notationem institutam fuisse dicamus. tamen vel ita tenemus antiquitatem libris nostris multo antiquiorem, cuius aliqua erit ad scholia distinguenda et constituenda editori utilitas.

Duo genera scholiorum testimoniis adhibitis inlustrantur et ad certam antiquitatem referuntur.

Andr. I 5, 8 (*abstrahat:*) *magna vi usus est verbi et proprietate.* idem ad III 2, 39. Eun. III 1, 52 (*provocemus:*) *eleganter, quia ille foris est, haec intus, illum 'intromittamus', hanc 'provocemus'. haec est in verbis poetae germana proprietas.* Phorm. I 2, 41 *proprie 'sedemus' ut in tonstrina.* idem ad Adelph. IV 5, 38. ibid. 57 explicatur 'forma' id est ignis et calor. *laudandus ergo est Terentius proprietate servata, qui cum 'formam' praetulisset, subiecit 'extinguerent'.* Phorm. II 1, 83 (*adsient:*) *proprie. adesse enim dicuntur advocati.* idem ad II 3, 3.

Similia sescenties. contra semel Eun. V 2, 8 (*cognosceret:*) *pro 'agnosceret'. nota improprie dictum.*

Illa autem redeunt ad iudicium Servio antiquius, cf. ad Aen. I 410 *sciendum tamen est Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse praepositum, quibus est quantum ad cetera spectat inferior.* repetitur idem in vita Terentii Brunsiana quae olim scholiis antiquioribus Schleei praemissa fuit (v. supra): *tamen no-*

tandum inter omnes comicos Terentium ob hoc principalitatem possidere, quoniam proprietatem verborum prae omnibus observavit, et in schol. Horat. epist. II 1, 59.

Sedulo adnotatur ubi poeta Romanos mores palliatae inmiscuerit.

Eun. II 2, 26 *cetarii lanii coqui fartores: σχῆμα* (Buecheler, *ιhaια v*: om. cett., in lac. 15 litt. V) *comicum. nam in palliata Romanas res loquitur.* Phorm. I 2, 100 (*ad portitores:*) *ex quo more dixerit vide, Attico an Romano.* similiter ad Andr. IV 4, 32. Adelph. III 2, 54. Phorm. II 2, 10. II 3, 46. Eun. IV 7, 13.

Nam palliata desiderat Graecos mores et instituta, cf. ad Phorm. I 1, 15. I 2, 75. V 6, 4.

Talibus observationibus Suetonium conicio adductum esse ut αὐτοσχεδιαστικῶς Terentium narraret in Graeciam esse peregrinatum *causa vitandae opinionis qua videbatur aliena pro suis edere seu percipiendi Graecorum instituta moresque quos non perinde exprimeret in scriptis.*

INDEX LOCORVM DONATI.

asterisco locos a Sabbadinio editos notavi.